I. N. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICO-MEDICA,

DE

VULNERUM LETHALITATE,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HÆREDE, &c. &c.

In Illuſtri Fridericiana

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU ET AUTORITATE

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.
COLL. FACULT. MED. h. t. DECANI
GRAVISSIMI,

DN. PATRONI ac PROMOTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI

PRO

GRADU DOCTORALI

Summisq; in ARTE MEDICA Honoribus, Inſignibus ac Privilegiis
More Majorum ſolenni obtinendis
IN AUDITORIO MAIORI
Horis ante- & pomerid.
Ad diem Jun. An. MDCCIII.
publicæ Eruditorum ventilationi proponit

JOHANNES CASPARUS Iſaac/
Gorlic. Luſat.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Chriſtiani Henckelii Acad. Typogr.

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSULIBUS, PRÆTORI, SYNDICO, SCABINIS, ET SENATORIBUS,

REIPUBLICÆ GORLICENSIS INCLYTÆ GRAVISSIMIS,

Dominis Patronis ac Fautoribus ſuis maximè Devenerandis,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

in obſervantiſſimi animi teſſeram inſcribere voluit, debuit,

JOHANNES CASPARUS Iſaac.

I. N. J.

PROLEGOMENA.

DE Themate quodam Inaugurali me deliberantem, movebat ſtatim à patrio ſpiritu ingeneratus amor non minus, quàm fervens jam inde à pueritia ſtudium, ad Artem Chirurgicam, utpote ex quâ non minus honoris & commodi Medicis accedit, quàm ex reliquis Medicinæ partibus; atque ex campo ejus fertiliſſimo, præ omnibus Vulnera ſcrutari mihi viſum erat; hâc tamen ratione, ut non Chirurgi ſolùm, ſed Medici quoque partes ſimul exercere atque defendere mihi eſſet integrum. Quapropter vexatiſſimam illam Vulnerum ſolummodò partem, quæ futura præſagire docet, pertractandam mihi elegeram. Sed cum ex alterâ parte, materiæ hujus obſcuritatem perpenderem, ejusdemque difficultatem ponderarem altius, rectiùs illis relinquendam eſſe arbitrabar, quibus judicium maturius, eaque facultas, ut tali de re ardua judicare ingenioſe, diſſerere ſubtiliter, collocare aptè atque concinne poſſint. Ex alterâ verò parte abducebant me ab hoc inſtituto tot Vulneratorum Hiſtoriæ, tot de Vulneribus conſcripti Li-

bri. Neminem ſiquidem latere poteſt, quantâ cum curâ, quantâque diligentia à ſummis olim & elapſi præprimis ſeculi Viris, *Hermanno Corbeo*, *Bernhardo Suevo*, *Melchiore Sebitio*, *Ambroſio Pareo*, *Fortunato Fideli*, *Paul. Zacchia*, *Paul. Ammanno*, *Godofredo Welſchio*, & recentius adhuc à Celeberrimo *Bohnio*, aliisque, hæc de Vulneribus materia fuerit enucleata, ut irritô omninò conatu tentare viderer, ſi hanc doctrinam ex Cathedra recenſere vellem. Verum enim verò, cum & lectio repetita in utilibus nunquàm diſpliceat, & hæc de Vulneribus doctrina usque adeò neceſſaria ſit, ut quò plura dicantur, eò plura dicenda reſtare videantur, vicit me quoque ejus utilitas atque neceſſitas: cum & de futurorum eventu ſollicitum eſſe maximè deceat Medicum & Chirurgum; non ſolùm, ut imminentibus malis obviam eant, eorumque vehementiam ac magnitudinem prohibeant, ſed Vulnera quoque ritè rectèque æſtimare queant, eorumque pericula impendentia avertant, à Magiſtratu verò de inflicto in conflictu prohibito vulnere quæſiti, rectum ferre poſſint judicium, an illud lethale vel non lethale, an ſanabile vel periculoſum extiterit, vel aliundè mortem attulerit: quò Judici benè informato vel à pœnâ reum abſolvere, vel eundem ſecundum leges & ſtatuta punire liceat. His itaque mecum penſitatis diligenterque examinatis tantum abfuit, ut deſiderio meo obeſſe potuerint, ut potius tantò acrius & penitius eam loco Inauguralis Exercitii ſub rationis examen vocare, mecum conſtituerim. Neque ardua ejus inveſtigatio me deterrere valuit, cùm planè ejusmodi cenſores & æſtimatores me habiturum certus confidam, qui errata & omiſſa humaniter ſint condonaturi. Tu modò, ſumme Deus, benedic, quæſo, hiſce meis laboribus clementisſimè,

ſimè, ut omnia mea cœpta in tuam æternam gloriam, proximique ſalutem feliciſſimè eveniant!

§. I.

MEdicam Doctrinam in tres, propter triplicem, quem gerit, finem, Partes, in Commentatoriam, Conſultatoriam, ac Renunciatoriam diſpeſci poſſe, tyronibus quoque artis medicæ, erit cognitum: quarum prima, ut breviſſimis utar, illa eſt, qua Medicus de his vel illis corpus humanum invadentibus morbis eorundemque ſymptomatibus redditur certus: altera, cùm unus vel plures Medici conſiderationem ſtatus alicujus ſive ſecundum, ſive præter naturam cum ſuis cauſis & Conſequentibus inſtituunt, cum ritè factâ utriusque Methodi Conſervatoriæ ac Curatoriæ per indicationes & remedia applicatione; tertia; ſi Judex ſ. Magiſtratus à Medico vel Chirurgo de ægri vel vulnerati ſtatu, h e. de Vulneris Lethalitate, de Contagio, de Veneno propinato, de Ingravidatione verâ vel falsâ, de fœtus propulſione ejusque ſtrangulatione, de deflorata Virginitate, de Superfœtatione, de Mola, de Monſtris, de Hermaphroditis, de ſuſtinendis Tormentis, de Cruentatione Cadaverum, de Morborum, & mortis ſimulatione, aliisque quàm plurimis, judicium ſive ſententiam ſuam poſtulat. In hac autem Renunciatoria locum ſupremum facilè meretur Vulnerum Lethalitas; non ſolùm, quod omnium fermè difficillimum ac ſummè ſpinoſum ſit Medicum de Vulnerum Lethalitate judicium, ſed quoque, cùm frequentiſſimè omnium accidat, ut de Lethalitatis quæſtione lites ac difficultates maximæ à Jure-Conſultis proponantur, ad quas dirimendas ac decidendas Magiſtratus unicè propterea à Medicis informari deſiderat, an vulnus inflictum Lethale fuerit per ſe, an verò per Accidens. Facilè aliâs contingit, ut innocentes capitaliter puniantur, qui debebant abſolvi; è contrario nocentes dimittantur, in quos oportebat realiter animadverti.

§. II. Ut ergo in hoc meo inſtituto omnia clara, nec ſine ordine proponantur, ad duo ſtatim reſpiciendum erit, Vulnus ſcilicet, ejusque Lethalitatem. Primùm quod attinet, intelligunt ſub hoc nomine Medici & Chirurgi communiter omnem continui ſolutionem in partibus quibusdam tàm mollioribus, quàm durioribus, ab inſtrumento aliquo ſecante, rumpente vel pungente factam, cum humorum ſtillicidio plus minus notabili. Iſtam vero ſolutionem, quæ ex cauſis internis quandoque contingere ſolet, intellectam heic minimè volo, ſed vulneratum, einen Verwundeten / cui vi externâ, veluti inſtrumento quodam vulnus illatum eſt, hac in Diſſertatione ſuppono.

§. III. Ex tali tamen deſcriptione ſtatuere neutiquam debes: lethalitatis formalitatem ſemper conſiſtere externè in ſolutione continui: ſiquidem conſtat: etiam ex violento ictu circa regionem epigaſtricam, ex inflicta alapa & commotione Cerebri mortem ſubſecutam fuiſſe ſubitam: quamvis nulla ſenſibilis continui ſolutio deprehenſa fuerit, imò nulla externæ vel internæ læſionis apparuerint veſtigia: qualia exempla plurima ex lectione Autorum, *Benivenio* imprimis *de Abdit. Morb. cauſ.* adduci poſſent. Sic legere licet apud *Hippoc.* de virgine illa pulchra, quæ percuſſa à muliere amica ludente latâ manu ad Syncipur, oborta vertigine & reſpiratione privata occubit. Teſtati id quoque *Zacch. in Quæſt. Med. LL. Lib. V. Tit. 2. Q. 10. n. 3. 4.* quod tales percuſſiones & ictus validi, quacunque in parte, præcipuè tamen in capite, in ſtomacho, in pectore, & regione hepatis ſine omni dubio proximæ cauſæ mortis eſſe poſſint, etiamſi nullum ab extra appareat nocumentum, nulla continuitatis ſolutio. Nec rationi abſonum videtur: quoniam violentia talis externa ad vaſculorum internorum dilacerationem, partium nervoſarum ſenſationem exquiſitisſimam, qualis ſuperioris ſtomachi orificii eſt, cerebri medullæque oblongatæ concusſionem validam ſuſcitandam eſt aptisſima, quibus denique Epilepſia, Apoplexia, Catoche, Lethargus, ſimilesque affectus tanquàm comites preſſis veſtigiis ſuccedunt.

§. IV. Quemadmodum v. Vulnera non ad eandem ſemper in-

infliguntur menſuram, ſed vel mille modis variant: ita variæ ab Autoribus recenſentur differentiæ, quæ deſumuntur vel ab ipſorum Eſſentia, vel à parte læſa, vel quantitate & figura, vel ab inſtrumentis. Horumque intuitu vulnera apparent nunc ſimplicia, nunc compoſita; alia carnoſa, nervoſa, arterioſa &c. alia magna, parva, ſuperficiaria; alia longa, lata, profunda, brevia, anguſta, rotunda, transverſa, obliqua, æqualia; cæſim alia, alia punctim inflicta obſervantur: quæ læſiones omnes ideò notandæ veniunt: quod tendinum, nervorum & juncturarum vulnera periculoſiora ſemper ſint ſimplicibus carnoſis, omnia interna periculoſiora externis, omnia punctim inflicta periculoſiora cæſim factis; globis pulvere pyreo exploſis inflicta, & omnia alia cum inſigni contuſione partis facta, periculoſiora cæteris. Omnia capitis vulnera, etiam minima, ſint maximi facienda, maximè tamen ea, quæ accidunt in ſuturis. Pro harum enim aliarumque circumſtantiarum diverſitate, ac ratione Symptomatum, lethalitas non rarò cognoſcitur ac judicatur.

§. V. Differunt deniquè vulnera inter ſe ratione periculi, & hujus reſpectu ſunt vel mortalia, quæ ad vitam neceſſariæ virtuti impedimentum objiciunt, ut placuit Hippoc. dicenti L. V. Aphor. *Veſicam inciſam, aut cerebrum, aut Cor, aut jecur, aut diaphragma aut renes, aut inteſtinorum aliquod gracilium, mortale;* vel periculoſa, qualia ferè omnia intrinſeca ſunt, quoniam ab extrinſeco aere ipſa alterantur, & Spiritus offenduntur, ac etiam virtus, quæ humanam naturam ſolet fulcire deſtruitur. Habet ergo ſe tanquam anguis in herba latitans. Sic talia deprehendimus in læſione Cranii & Meningum, quando vulnera cranii ex incuria vel negligentia nimis citò conſolidantur, & ita ſeroſæ ac purulentæ materiæ exitus intercipitur, vel retinetur, quæ tantam acrimoniam tractu temporis contrahit, ut non tantùm cerebri ſubſtantiam, aliàs mollem ac ſpongioſam, verùm etiam ipſum cranium corrodat indeque neceſſariò varia ac periculoſa ſymptomata, niſi evacuentur tempeſtivè, ſubſequantur. Item in punctura nervorum, propter eorum ſenſilitatem & communitatem, quam cum cerebro habent,

&

& ſubſequentem ſpaſmum. Unde illud divini Hippocrat. certificatur: *In vulnere ſpasmus ſuperveniens, utplurimum mortale.* Caveas vero ne vulnera hæc inter ſe confundas, & *inſanabilia* pro *lethalibus* judices; cùm lethalia quidem inſanabilia dici mereantur, hæc verò ab illis toto cœlo differant. Res in Exemplis erit clarior. Singularis planè proſtat obſervatio, quam *Platerus* ſcriptis ſuis inſertam reliquit, viri cujusdam in abdomine ſauciati, refertque de illo, iſtum per plures annos per fiſtulam à vulnere inteſtini atque abdominis remanentem, feces alvinas quotidiè excreviſſe, qui tamen ad cæteras partes omnes ſatis validus vixerat, alia ut taceam. Parili ratione differunt periculoſa à lethalibus. Quid enim accidit frequentius, quam ut quis levi ex plaga vitâ diſcedat. Exempla iterum qui velit, adeat *Guilielmum Fabritium*, inveniet ibi Virginem nobilem, quæ caſu vulnuſculum in vertice contraxerat, ubi cutis vix læſa fuerat. Illa, quia neque inflammationem ſentiebat, primo & ſecundò die, vulnus ſeu potius contuſionem, planè neglexerat. Tertio die incœpit parum dolere: quapropter barbitonſorem accerſivit, qui raſis crinibus, cutem vix læſam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò capitis gravitate & febricula correpta eſt. Medicus ad ipſam vocatus, offendit ipſam delirantem, faciem & oculos inflammatos & linguam aridam, ita ut ſequenti die è vita diſceſſerit. Aperto capite, ſanguinem ſub cranio collectum & cerebri membranas inflammatione correptas invenerunt; Cranium tamen nequaquam læſum. Fuit hoc vulnus maximè periculoſum, nec tamen lethale, cum ſanguis extravaſatus, maturè diſcuti, aut trepanationis beneficio evacuari potuiſſet.

§. VI. Ex hac multiplici differentia erui ſolet plerumque vulnerum Lethalitas, de qua in genere breviter dicam. Scilicet verbum *θανάσιμον, lethale*, vel *mortem inferens*, non uno modo, ſed *tripliciter*, in Foro Medico accipitur; ſcilicet 1. pro eô, quod *κακὸν* vel *κινδυνῶδες*, malum, pravum, pernitioſum, ac *periculoſum* eſt; 2. pro eô, quod *θανασιμώτερον καὶ χαλεπώτερον, maximè periculoſum*, & utplurimum cum vitæ periculo eſt;

&

& 3. pro eo, quod ἐξ ἀνάγκης, *ſimpliciter*, *abſolutè*, & neceſſariò mortem inferre ſolet.

Τὸ *Lethale*, porrò aliter à vulgo, aliter à Medicis accipitur. Vulgus omne id vulnus lethale eſſe dicit, ſi citò mors illud ſequatur; absque ulla tamen ulteriori deliberatione aut inſpectione vulneris. Verum aliter Medici voce illa utuntur, & nonniſi id vulnus lethale appellant, quod *per ſe* ac *ſua natura* mortis cauſa exiſtit, adeoque nec aliquot dierum morâ dilata vulnera, è lethalitatis reatu eximi heic queunt, ſed æque lethalia ſunt, & eſſe poſſunt, quoniam, quod differtur, non aufertur, lethum. Hinc tam ex fundamentis artis, quam veterum pariter ac recentium Medicorum autoritate, nata eſt diviſio, quâ diſpeſcuntur vulnera, in Lethalia ſeu θανάσιμα ἐξ ἀνάγκης, hoc eſt, ex *neceſſitate*, vel ſimpliciter & *abſolute* lethalia, quæ ſua naturâ, *immediate*, ac inevitabili neceſſitate, omni ſpe ſanitatis defalcata, nullo interveniente ſymptomate, lethum inferunt; ac nulla ope, nulla cura, nullisque remediis peritorum, corrigi aut declinari poſſunt, quæ lethalia *ab initio*, dicit B. Redekerus, in diſſert. de vuln. hab. Et quæ πάνυ, πολλάκις, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ſæpè & utplurimum, mors excipit, h. e. quorum curatio *utplurimum* malè ſuccedit; quæque concomitantia habent ſymptomata graviſſima, licet *non ſemper* mortem inferant: quæ Lethalia *ab Effectu* dicit modò laudatus Redekerus: quanquàm accuratius ſummè periculoſa eadem vocaveris: v. g. vulnera *cerebri* minus profunda, & in quibus copioſa ſaburra humorum in ſuperficie cerebri colligitur, quæ ſaburra non poteſt ſubtrahi, niſi interdum fortuito naturæ motu: vel ſi cruentorum humorum ſaburra colligatur in cavitate *thoracis*, & copioſus ſanguis coagulatus ſeu effuſus ſit, ex vaſis ſanguiferis. Etenim ſi forte fortuna beneficio naturæ illa ſaburra iterum ſubſtantiam, & per horum bronchia cum tuſſi evacuetur, fieri poteſt, ut thorax liberetur, ſicque ægrotans reconvaleſcat; vel ſi beneficio motus thoracis & convenientis ſitus patientis, cruor coagulatus bene protrudatur verſus vulnus, ſicque extrahi poſſit. Sic accidit quandoque, ut *inteſtino-*

rum vulnera majora minoravé curentur; ſi nimirum inteſtinum læſum præcisè attigerit vulnus, & unà cum muſculis abdominis concreverit. Et ſic in reliquis. Tertiò, dantur vulnera, ex quibus ut talibus, percuſſus non perit, ſed pro diverſa medentis induſtriâ vel peritiâ, vel ægri convenienti pravoq; regimine, vel aliis circumſtantiis, *modò* convaleſcit, *modò* fatis cedit, quæ κατὰ συμβεβηκὸς, *per Accidens* Lethalia, pronunciari poſſunt.

§. VIII. Judicantur vero vulnera lethalia nec ab Eſſentia vulneris, nec ſua magnitudine, nec à concurſu Symptomatum, ſed ſolum à vulneratæ *partis* natura, propriisque ſolutæ unitatis differentiis. Nam ſi aliquod vulnus *ſua eſſentia* eſſet lethale, vulnera omnia ſemper neceſſariò eſſent lethalia; nulla ſalubria; cùm tamen alia *lethalia*, alia *tuta* nuncupentur; alia verò, quæ medio quaſi conſiſtant loco, ac *periculoſa* dicantur. Sic quoque magnum ſæpe numero tutum, parvum verò pernicioſum eſſe, quotidiè experimur, de quibus in ſeqq. plura dicenda erunt. Nec ratione ſymptomatum; poſito, ut quis accepto in digito vel aliâ ignobili parte, vulnere, oborta inflammatione aut ſpasmo intereat: lethale propterea illud eſſet appellandum. Minimè gentium: cum talia ſymptomata nunquam vulnera ſuâ naturâ lethalia conſtituere poſſint, quanquam æger morti ſæpiſſimè ſuccumbere teneatur. Hoc ſuo jam tempore expertus eſt *Hippocrates*, dum ſcripſit: *Moriuntur homines ab omnis generis vulneribus, quamvis in vilibus locis, & nulla re gravia eſſe videantur.* Quotidiana etiam ſatis comprobat Experientia: multos levibus acceptis vulneribus, aut certè minime exitioſis præter opinionem tamen interiiſſe: quæ res ad Judices delata non modicè illorum animos exercuit; unde nimirum potiſſima extiterit mortis origo.

§. IX. Rectius ergo Lethalitas ex *partium* dignitate ac neceſſitate, propriisque ſolutæ unitatis differentiis agnoſcenda ac judicanda erit. Tales partes nobiles omnes ſunt, quæ in corpore noſtro principatum tenent, ac fontes ſunt facultatum; nimirum Cor, cerebrum, jecur, pulmo ac ventriculus, quem veteres Medici propter magnam illius actionis ac neceſſitatem Regem corporis nuncuparunt; medulla ſpinalis, quæ ejusdem notæ cum cerebro eſſe cenſetur, eſtque

velut

velut alterum quoddam cerebrum partibus omnibus, quæ ſub capite ſunt; ſeptum item transverſum ſeu diaphragma, arteria aspera ſeu trachea, inteſtina tenuia, atque veſica urinaria, folliculus felleus; quæ partes omnes, ſi ſemel læſæ ac diviſæ, *difficulter* admodum coaleſcere poſſunt, cum tamen neceſſaria vitæ actionem exerceant; Os pariter ventriculi, exquiſitiſſimo ſenſu præditum, maximaque afferens ſymptomata; arteria magna, vel vena magna ſeu cava læſa, ſanguinis repentinâ effuſione vitam deſtruentes, & quæ ſunt aliæ.

§. X. Super horum vulnerum lethalitate, pro neceſſaria Judicis informatione, ſententiam ſuam deponere jubetur Medicus. Sed quis, quæſo ſagaciſſimus quoque fundamentaliter ac ſub ſancta conſcientiæ fide, has vel illas partes, & quomodo, ſauciatas eſſe certò affirmabit, niſi accuratiſſima vulneris luſtratio præceſſerit? Hâc neglectâ, nunquàm lethalitatis & Non-lethalitatis cauſa certis firmisque inniti poterit fundamentis, adeoque nec judex occiſorem ordinaria pœnâ afficere valebit, dum in iis, quæ de ſanguine humano agunt, probationes dubiæ ac ſemiplenæ ad mortem inferendam non ſufficiunt.

§. XI. Ex his, ut puto, ſtatim apparet, Inſpectionem vulneris ad judicii rationalis concinnationem maximè eſſe neceſſariam, quæ juxta Celeberrimi *Welſchii* ductum nihil aliud eſt, quàm *ſedula*, *diligens*, & *accurata*, in vulneris conditionem ac qualitatem, à Medico & Chirurgo, à Magiſtratu legitimè requiſitis, ad Judicis ſuper Lethalitate vulneris informationem, inſtituta inquiſitio.

§. XII. Cùm vero arduum hocce negotium duabus ſaltem perſonis, Medico ac Chirurgo, unicè ferè nitatur, abſolutæ quoque neceſſitatis erit, ut anatomica æque ac Chirurgicâ ſcientia probe ſint imbuti, exactoque diſſecandi Cadavera artificio inſtructi. Hos tamen, dum nomino, Medicum præprimis intelligo; cùm ſæpè contingere ſoleat, ut hic ignarum hujus rei Chirurgum informare, aut ipſe, urgente neceſſitate, ſectionem adminiſtrare debeat, præprimis ſi conſcientioſus ſit Medicus. Is profectò ſectionem manibus propriis potius adminiſtrare debet,

 quàm

quàm rudioribus illis ſociis eam committere, qui imperitia ſua partes potius lacerant ac perforant, quam vulnera inveſtigant. Melius enim eſt cruentas manus, quàm conſcientiam maculatam poſſidere. Imò impoſſibile, ut Medicus in dicenda ſententia ſemper certus eſſe queat, niſi ſedula inquiſitione, ipſiſſimas admoverit manus. Hâc verò ratione relatio ejus firmô talo ſtare poteſt, quæ baſis eſt ac fundamentum, juxta quod in Medicorum Collegiis Lethalitas vel ſimplex vel abſoluta finaliter deciditur.

§. XIII. Quodſi itaque ſit, ut totum inſpiciendi ac inquirendi negotium in rerum anatomicarum notitia conſiſtat, facilè patere arbitror: illud non ſoli Chirurgo, multò minus imperito barbitonſori vel balneatori, eſſe committendum; cùm quotidiè experiamur, dari quamplurimos, qui Anatomiam ſatis craſsâ Minervâ excoluerunt, & in ſectionibus corporum humanorum minùs ſunt verſati, quàm laniones, aut alii hujus commatis, qui plures ſectiones in menſa celebrarunt, quàm in Theatro Anatomico: qui pericranium cum pericardio, arteriam magnam cum arteria aſpera, tendines cum nervis confundunt, ſicque miſerè errorum ſcopulis impingunt: horum imperitiam etiam adducit celeberrimus *Volcherus Coiterus*, dicens: Deploranda eſt quorundam inertia atque ſtupiditas, qui veſicam pro ventriculo, vermes pro nervis, pulmonem pro hepate demonſtrant, & monſtroſa atque abſurda credulis ſpectatoribus narrant. Sic quoque *Ammannus* ſe vidiſſe teſtatur Chirurgum, quendam, qui ſangvinem congrumatum in vulnere ſiniſtri hypochondrii, pro liene aſpexerat. Nonnè & adhuc hodie proh dolor! taliusmodi deprehenduntur, qui hoc doctrinæ genus ſuperficialiter tractant, canis ad inſtar è Nilo bibentis, atque experientia, quæ vel maximè requiritur, planè deſtituuntur; qui ſine rerum neceſſariarum ſtudio & Theoria prævia arti ſe mancipant, imò haud rarò non citra temeritatis notam extra limites orbitæ ſuæ divagantes in Medicinam involant; dumque Empyricorum more ex ſiniſtrâ licet perverſâque remedii cujusdam ſurrepti applicatione caſu fortè talem qualem effectum ſentiunt, de quo gloriari quodammodo poſſunt, Medicis ſtatim ipſis pares æſtimari

vo-

volunt, morborum curationi ſe applicant, quorum terminos vix norunt, aut enunciare valent. Quomodò ergò homines iſti relationem de Vulnere inflicto concinnabunt, anatomiæ & Chirurgiæ fundamentis conſentaneam?

§. XIV. Majori itaque jure iſti à Magiſtratu adhibendi ſunt, qui manibus oculisque curioſis humani corporis ſtructuram, partium nexum, juncturam membrorum, viſcerum ſitum, abſconditos perplexosque vaſorum meatus, exploraverint diligenter: nec adeò refert, ut ſectionibus iſtis Doctor interſit legitimè promotus, cùm & talis ob ſcientiæ anatomicæ exercitiique crebrioris defectum, vulnera dijudicare nequeat, ſed ſufficit, modo Practicus, modò Candidatus, modo ſit expertus, & fundamentalem ſolidam & perfectam artis anatomicæ habeat notitiam, ſuique judicii rationem reddere queat, ut in vulneris qualitatem inquirere, & ſuper lethalitate ipſius judicare ſufficiat: quò etiam reſpexit *Angelus Aretinus* in Proem. Inſt. dicens: Quando aliquid committitur faciendum alicui, debet committi illi, qui ſit peritus in eo, quod faciendum eſt, & debet eſſe peritus totius artis, non partis tantum.

§. XV. Eſt autem res hæc maximè ardua atque ſpinoſa: cum non de glande hic quæratur legenda, ſed humano ſanguine & vita. Lucidis proinde & indubiis omnino opus eſt probationibus, non turbidis innitendum conjecturarum fluctibus; hoc eſt, non ſufficit vulneratum eſſe mortuum, ſed neceſſe etiam eſt, ut cauſa quoque conſtet vulneris atque conditio. Aperiendum eſt corpus, manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt, quod vident. Hinc recte hodie receptum eſt, ſolenni quaſi Magiſtratus ſententia, de jure & conſvetudine, examen vulneris committere Medico & Chirurgo, ſecandi peritis, & rerum anatomicarum gnaris, qui juxta artis fundamenta omnia minima peragunt, ita quidem: ut dirigente, nec tamen otioſo, Medico profectionem inſtituat Chirurgus, medici miniſter, ita tamen, ut ſedulo ſibi caveat, ne ante cadaveris ſectionem, ſtylo vel inſtrumento aliquo ferreo, in vulneris profunditatem inquirat, cum ita vel vulnus dilatari, vel aliæ partes interiores lædi facilè poſſint: hicque

in ſordidis ac vilioribus operationibus Medicum ſublevet, ipſasque manus aperturæ cadaveris admoveat: iſte verò ſuper vulneris qualitate dicat ſententiam. An vero etiam Chirurgus iſque ſolus, ut nonnulli ſtatuunt, ſententiam ſuam ſuper lethalitate vulneris coram Judice deponere poſſit, lubentiſſime affirmarem: ſi modò eorum relationibus ſine Medici comprobatione fidere integrum eſſet; cùm talis depoſitio ejusmodi ſit opus, quod ſanè prudentiorem conjecturam & ratiocinationem requirit. Aſt quali peritia nonnulli trivialium tonſorum ſint præditi, paucis jam §. 13. explicatum eſt; dum nimirum in hac utiliſſima pariter ac maximè neceſſaria ſcientia anatomica ita malè ſunt verſati, ut nec Calvariam ſine meningum ac cerebri laceratione aperire, nec reliquarum cavitatum viſcera multominus vaſorum ramificationes promtè diſcernere queant. Hac ſane ratione teſſeris & ſorti opinor tutius committeretur hocce negotium, quàm temerariæ horum tractationi, ineptæque relationi & futili judicio; quanquam alias munus hoc deponendi etiam Chirurgo, quatenus docto, experto, artisque ſuæ optime gnaro, omnino committi poſſet. Et ne omnia absque ratione me dixiſſe videar: liceat mihi inter alia hæc verba ad Facult. Med. Lipſienſem transmiſſa, & ab *Ammanno in Prax. Vuln. Leth. p. 170.* approbata adducere: weil ihnen absque Medico nicht zukömmt/ noch ihr Verſtand (immaßen derer hierzu gehörige Verſtand und peritia nochmahls negiret wird) ſo hoch hinaus langet/absque rationibus ceu brutum, ſuper lethalitate vulneris zu judiciren.

§. XVI. Et quemadmodum tale judicium ſanguinem hominis concernens in hac functione medica ſecundum Hippocratem admodum difficile eſt: tanto ſic major requiritur diligentia, ut talis inſpectio ſedulò, diligenter & accuratè inſtituatur, quo Medicus de qualitate vulneris rationem reddere queat ſufficientem: quod ex voto contingit, ſi læſionis modus non ſolum vulnerisque accidentia cum induſtria attendantur, & fideliter examinentur; ſed ab adſtantibus quoque alternatim, aliud quaſi agendo, in litis occaſionem, armorum genus, vulne-

rati

rati conditionem & alias inquiratur conditiones, eaque omnia, quæ circa vulneratum à principio læſionis usque ad mortem fuerint acta, probè cognita fuerint, atque perſpecta; hæcce enim ſingula, quæ ſcilicet noſtrâ interſit referre, planè percunctari, fides omnino noſtra atque integritas poſcit, quibus deliberatius domi omnibus denuò ponderatis, non minimus acquiritur rei prægustus: hiſce vero neglectis, fieri aliter non poteſt, quam ut Inſpectio illegaliter peragatur, læſionis phœnomena minus accuratè referantur, circumſtantiæ inſufficienter exponantur, ex quibus variæ dein Magiſtratui oriuntur difficultates, ob quas ſe extricare non conceditur, ſicque reum vel abſolvunt, vel innocentem damnant: non attendentes aurea verba *Sebitii de Exam. Vulner. Leth.* Magnum quippe crimen eſt, & impietatis pleniſſimum, eum, qui a mortis pœna liberari poteſt, falſo & iniquo teſtimonio reum facere; peccatum maximum, ſervare velle illum, quem ob vulnus illatum lethale, leges homicidarum pœnâ damnarunt.

§. XVII. Medicum porrò in judicio de Vulnerum Lethalitate ferendo, liberè omnia, ac ſine fuco proferre, nihil ſubdolè, nihil tectè loqui, ab omnibus item præjudiciis, hypotheſibus & caſuum identitate liberum eſſe oportere *Melchior Sebitius in Exam. Vuln. Part. 3.* optimè inculcavit, dicens: Oportet hoc in caſu animum habere ab omni affectu vacuum credendo, DEUM καρδιωγνώϛην nobis adeſſe, & factorum noſtrorum omnium Inſpectorem eſſe oculatiſſimum, ſique contra veritatis ac æquitatis legem ſententiam tulerimus, vindicem ſeveriſſimum, ſin pro veritate ſteterimus, Fautorem ac remuneratorem benigniſſimum &c. nec non *Codronchius meth. teſtif. Cap. 3.* hic verbis: Medicus qui de morbo aliquo vel vulnere ſententiam ſuam religioſe teſtificari debet, ante omnia animum ab omni affectione perturbationeque liberum vacuumque eum habere oportet, & veritatem ſectando mendacium odio proſequi: ideo requiſitus à Judice, qui juxta formam vel ordinem juris interrogat, veritatem dicere debet, qualibet utilitate vel ratione ſpeciei boni vel honeſti ſepoſita &c. Eodem modo graviter peccare, manusque ſuas ſanguine innocenti maculare

Me-

Medicus poteſt, ſi in deponendo præcipitantia peccet juxta *Fieni* verba *Semiſt. Part. 1. Sect. 4. C. 1.* Si Medicus nimis temerarie judicat, reus eſt ipſemet mortis & ſupplicii vulneratoris. Hinc monitum *Guidonis de Cauliaco de vulner. Cap. I.* notatu maximè dignum eſt; quando dicit: Non ſis, rogo te in judicando velox & ſubitus, ſed deliberatus & prævifus: nec non *Fort. Fidel. de Relat. Med.* inquiens: Nihil dices, quod non ſatis digna meditatio judiciique maturitas elaboravit: Neque enim in gravi & difficili quæſtione, & quæ forſan à vulgari intelligentia remotior ſit, dedecebit Medicum, doctum licet, uſuque ac literis præſtantem, juſtum aliquod temporis ſpatium expoſcere, ut conſultis Autoribus de re propoſita ſententiam ferat.

§. XIIX. Finis denique hujus inſpectionis primarius nihil aliud eſt, quàm vulneris omniumque circumſtantiarum cognitio, & certitudo, ut Medicus formaliter judicare queat, an ex vulnere ipſo, an alia de cauſa æger perierit. Et ſi judex juſtitiæ imprimis adminiſtrandæ, ac homicidii puniendi gratia, à Medico ſententiam ſuper lethalitate rogat, iſte ex vulneris deſcriptione lethalitatem legaliter poſſit æſtimare. Habet enim hicce à Zelote illo maximo DEO, ut in omnia facinora ac delictorum genera, ſic in hoc deteſtandum ſcelus, homicidium puta, ſeriò animadvertendi officium, quod ſacris in literis Num. XXXV. v. 16. 17. 18. 19. 30. perſpicuè obſignatum dedit.

§. XIX. His peractis, quæſtio adhuc ſupereſt: an inſpectio ſemper celebrari debeat: dum Illuſtr. *Stryckius de Jur. Senſ. Diſſ. 1. c. 3.* aliique putant: Inſpectionem cadaveris haud ſemper adeò neceſſariam eſſe, quin, illa neglecta, pœna ordinaria in occiſore locum habeat, ubi ſcilicet lethalitas ſtatim ex breviori vitæ termino & morte, vulnerationem immediatè excipiente, maximè probabiliter concludi poſſet. Tali in caſu, tanquam re certâ, ſectione non opus habere Judicem exiſtimant. Sic & clariſſimus *Feltmannus C. 54.* §. 4. ubi homo ex vulnere ſtatim atque ictus, mortuus fuerit, rem tàm claram eſſe, putat, ut nullis opus ſit conjecturis, ne inſpectione quidem vulneris. Verum enim verò, proſtant obſervationes non paucæ, ubi vulnus

imme-

immediatè mors ſuſceperit, cum tamen læſio iſthæc minimè exstiterit cauſa mortis, ſed potiùs morbifica ipſius ægri diſpoſitio. Finge latentem hydropem. Finge, inquam, interiores partes thoracis occupaſſe Apoſtema quoddam, perfoditur pectus ad exitum usque ægri ſubitaneum, quomodò in præſenti cadavere ejusmodi mortis ætiologia erit concipienda? Tale quoque exemplum docet *Bonet. in Anatom. Pract. L. IV. S. III.* ubi juvenis robuſtus ſatis nocturnis horis à duobus ebriis gladio duobus locis punctim fuerat transfoſſus, primum vulnus prope claviculam dextram anterius inflictum, alterum prope ſcapulam ſiniſtri thoraci adactum, qui etiam 14. die anhelus expiravit. In diſſecto cadavere, cætera ſano, nullum vulnus profundum inventum eſt, nec ulla pars interior læſa obſervari potuit: ſed ingens copia maximæ purulentæ candicantis, in ſiniſtra cavitate thoracis, inſtar empyematis proſiliit, ſine inſigni fœtore, quæ aliquot menſuras facilè expleverat, & diaphragmati incumbens reſpirandi difficultatem & dolorem ejus partis auxit: ex pericardio craſſisſimo pus quoque emanavit. Hinc rectè quærit dictus hic Autor: an ex vulneribus homo perierit, an potius ex apoſtemate thoracis interno, quod fortè in conflictu ruptum fuerat. Finge porrò, laborare quendam polypo cordis vel alius partis nobilioris, accidit ut hoc vel illo actu ex improviſo caput ejus lædatur, excandeſcit, ſanguis ebullit, & brevi ſequitur mors: quæritur: an hic ex vulnere perierit, an ex fervore ſanguinis ab ira nimium concitato ſuffocatus. Talia exempla plura Celeberr. *Bohn.* in Tract. ſuo *de Renunc. Vuln.* allegavit, quæ ex ſectione Cadaverum ipſe obſervavit. Et inter alia refert: Nobilem, cui quilibet ſummam ſenectutem promiſiſſet, ad latus uxoris repentè occubuiſſe, cujus ſubitaneæ mortis cauſa in cadavere, ruptura ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium aortæ, hinc cruoris ad pectus profuſio deprehenſa fuit. Hunc ergo, pergit modo laudatus *Bohnius*, ſi paucis ab obitu horis leviter ſauciari contigiſſet, e. g. in abdomine, nonne ex vulnere mortifero decesſiſſe autumasſet? Aliud recenſet *D. Philipp. Jacob Sachs in Eph. Germ. dec. I.*

 anno

anno 2. obſ. 122. in ſchol. ubi: Hoc ipſo, ſcribit, anno 1671. Menſ. Apr. Uratislaviæ ancilla quædam ſervi cujusdam nimiam jocandi licentiam frenatura, cantharo parvo ligneo circa tempora percutit, qui ſcalas quidem deſcendit, in atrio tamen in terram concidit, & exſpirat: aperto capite interius NB. nulla certa veſtigia mortis cauſæ inventa fuerunt. Quis ergo de certo affirmare auſit, hunc ſervum ex vulnere, tanquam ſola & unica cauſa mortuum fuiſſe Ex his omnibus ſatius, ni fallor, apparere arbitror, inſpectionem vulneris ſemper adornandam eſſe, ut pateat, quænam pars aut partes corporis læſæ ſint, & quomodò læſæ: imò non illæ partes tantùm, ad quas vulnus penetraſſe ipſo ſtatim ſenſu patet, inſpici debent, ſed & vicinæ, & quæ quocunque modò ſuſpectæ eſſe poſſunt læſionis, caput præprimis, in quo integumenta ſæpè externa integra, minusque tumida aut ſugillata comparent, ipſaque cerebri involucra ne quicquam violentæ impreſſionis oſtendunt, ſub dura nihilominus meninge ac inter cerebrum & cerebellum notabilem cruoris copiam reperimus. Quapropter non unus tantum venter, ſed plures imò omnes aperiendi, horumque receſſus & contenta perluſtranda ſunt. Imò totum cadaver externe probe conſiderandum eſt, an in eo tumor, livor vel ictus conſpiciatur. Quodſi vero cadaver ſine inſpectione terræ mandetur, vulneris lethalitas non ſolùm redditur ſubleſta vel dubia, ſed nullitatis quoque vitio afficitur Proceſſus, liberaturque homicida à pœna ordinaria juxtà Carpzov. *Qu. 26. n. 50. ſeqq.* Feltmann. *de Cadav. Inſpect. Cap. 61. th. 6.* De quibus tamen rebus ipſi JCti viderint.

§. XX. Adornetur verò hæc inveſtigatio ſatis tempeſtivè, h. e. ſine omni mora, & mox ab obitu vulnerati, dum de homicidio conſtat, ut nec dies, divino cultui dedicatus excipiatur; maximè æſtivo tempore, quo cadavera facilius putredinem contrahunt: ne ſuperveniens putredo, hincque concitatus fœtor Medicum ab Inſpectione exactiore terreat, ipſumque cadaver temporis tractu alteretur, putreſcat & corrumpatur. Quomodo quæſo vulneris qualitas accuratè cognoſceretur,

tur, præſertim in iis ſubjectis ubi veneni ſuſpicio adſit. Ex tali namque immutatione, alteratione ac putrefactione internarum partium nihil certi determinari poterit, aut aſſumti veneni ſuſpicio augebitur, cùm tamen nihil ſuerit aſſumtum; aut imminuetur, quatenus alteratio talis ventriculi, aliarumque partium à corroſivâ veneni ſubſtantia reverà facta, putredini inſtanti accenſebitur. Hinc rectè *Facult. Lipſ. Med. d. 1. Dec. anno 1671.* ita reſpondit: So geben nach fleißiger Erwegung aller und ieder Umſtände / wir demſelben zu freundl. Antwort / daß zwar zu wünſchen geweſen / dieſe Beſichtigung wäre zu rechter Zeit / und nicht in einem Cadavere, ſo ſchon 8. Tage / und zumahl Sommers-Zeit unter der Erden gelegen / angeordnet worden (wie wir denn in dergleichen Caſibus keinen Medicum ſchuldig zu ſeyn erachten / ſeine Famam, und geſunden Leib in Gefahr zu ſetzen) da denn noch ein mehrers circa lethalitatem hätte eingebracht werden können ꝛc. Sic loci quoque habenda eſt ratio, ut ſit conveniens inſpectioni, minimè obſcurus nec clauſus, ſed ſi nullæ circumſtantiæ diſſuadeant, perficiatur ſub aurâ liberiori hoc negotium, ſic eò feliciùs non modò faceſſet, ſed operantes quoque & adſtantes ab ejusmodi putrilaginoſis effluviis relinquuntur immunes.

§. XXI. Operatione hâc anatomica, vulneris nimirum ſecundum artis leges regulasque peracta, diu adhuc plenâque fide eſt decernendum, antequam Medicus ſententiam ſuam de Lethalitate concipiat, eamque ad judicem deferat, ſemper ſecum reputans, tale opus eſſe, quod tàm caro luitur; ſanguinem eſſe hominis profuſum, qui ad cœlum clamet, ſi immeritus enſe Carnificis profundi debeat. Rectius vulnus antea ab ipſo probe perſpectum, nunc ad ſequentes circumſtantias tàm primarias quam ſecundarias juſtè examinet, ejusque lethalitatem vel Non-lethalitatem eruat. Inter primarias occurrit vulneris magnitudo, ejusdem qualitas ac figura. Secundariæ ſunt diſpoſitio corporis nativa & ætas: morbi antecedanei ac combinati, loci atmoſphæra item Symptomata, ægri diæta, animi pathemata, & Chirurgi vel Medici peritia ac ſolertia diverſa. Singula breviter attingam.

§. XXII. Primò ratione texturæ conſiderandum eſt, an pars læſa ſit muſculoſa, an nervoſa vel tendinea: quia pro diverſitate hujus læſionis majora ſemper vel minora ex ſurgunt ſymptomata. Sic tendinoſarum partium vulnera, ut aſperæ arteriæ, veſicæ, & Circuli nervei diaphragmatis, carnoſis ſemper ſunt præſentius periculoſiora, ob convulſionum gangrænæ ſphacelique metum, quæ citius miſeros hos homines ad Acheronta, ſine viatico emigrare cogunt. Deinde videndum, quomodo vulnus ſit collocatum, an in loco profundo & abſcondito, an deligationi magis accommodato, an vaſa ſanguifera interna vel externa ſolutionem paſſa. Talia certe vulnera, ob hæmorrhagiam incompeſcibilem, haud vocant periculo. Quomodò enim ſauciatis viſceribus vaſis venoſis vel arterioſis ligaturas, ſtringendo ſanguini neceſſarias, activa vel paſſiva remedia applicabis. Lethalia ergo evadunt, ſolùm propter ἀθυναμίαν curandi.

§. XXIII. Quantum actio partium læſa vel denegata ad lethalitatem conferat, vulgaris eſt obſervationis. Quis neſcit, ex læſo & vulnerato nobiliſſimæ actionis organo, Cerebro, hominem fieri Lethargicum, Epilepticum, fieri Apoplecticum? Quis neſcit, ob denegatum ex transfoſſorum muſculorum œſophagi, uſum & officium, gravia vitæ imminere pericula? alia ut taceam, in quibus manifeſta claraque conſiſtit mortis ſignificatio.

§. XXIV. Magna verò vulnera quid ſint, quidque valeant, per ſe patet. Tribus tamen modis magna fieri apud *Paræum* legimus: ſcilicet propter ſolutæ unitatis & diviſionis magnitudinem; vel propter principatum partis, qui ex actionis præſentia pendet; vel propter magnitudinem & Cacoëthiam, totiusque læſi corporis cacochymiam, aut debilitatem. De ſecunda ſpecie dixi, de tertia mox dicam, de prima id refero: magnum quipem vulnus judicandum eſſe ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Sed quemadmodum leve vulnus nervorum vel medullæ ſpinalis, per conſenſum univerſales convulſiones ſpaſmosque lethales producere potens ſit; imò quo anguſtius *pectoris vel abdominis* vulnus, eò periculoſius: ſic longum latum-

tumque ſine manifeſta majorum vaſorum ſanguiferorum læſione nihil periculi portendere ſæpe cognoſcimus. Nec parum refert, ſi de qualitate vulneris Medico conſtet, an *contuſa* vel *venenata*, aut qualia, dum ſingula ſemper notabiliter differunt. Vulnera enim venenoſa quadem materia infecta, ſtomacho, veſicæ & renibus ardorem inferunt, ſingultum excitant, tremore & horrore totum corpus concutiunt, anxietates inducunt, reſpirationis libertatem intercipiunt, veterno hominem conſopiunt, & ſtupefaciunt, capiti vertiginem, oculis caliginem, ſitim, hæmorrhagiam, febrem, vomitum indefinentem, faciei ruborem, lividitatem, pallorem, virium exolutionem, & alia multa ſæpiſſimè inferunt: Et dum horum venenorum non eadem ſemper obſervatur formalitas, hinc nec de iisdem alexipharmacis, horumq; antidotis ſemper conſtare poteſt, ob quam varietatem, vulnera talia *venenoſa*, profundiora præprimis, *lethalibus* communiter accenſeri ſolent. Docet id quoque *Excell. Bohn. de Renunc. Vuln. p. 73.* Spectat huc, inquit, vulnerum venenoſitas, ab inſtrumentis lædentibus venenatis impreſſa, quorum qualecunque & quomodocunque ab his illatum, lethale. Ejusd. opinionis fuit *Zacch. Quæſt. Med. Leg. L. 5. Tit. 2.* niſi conſtaret, arma ipſa fuiſſe venenata, tunc enim hæc præſumtio eſſet adeò urgens, ut ex ſe ipſa ſola facere poſſet, evidentisſimam conjecturam, quod vulneratus ex vulnere mortuus ſit, etiam cæteris omnibus conjecturis & præſumtionibus in contrarium facientibus: Sententiam confirmat quoque *Hildan. de Sclopetar. Cur. Cap. 2. p. 953.* ibi nonnulli deteſtandi homines, pernicioſo, lethalique veneno globos inficiunt, adeò, ut minima quoque vulnera evadant lethalia.

§. XXV. Nec minorem difficultatem vulnera *contuſa* gignere videntur, quæ à ſagittis, ſclopetis, igniariisque machinis infliguntur. Glandes enim plumbeæ ſclopetis explodi ſolitæ, rotundæ ſunt, ſ. obtuſæ & ponderoſæ ac graves, unde corporis continuitatem tam oſſearum, quam carnearum partium ſolvere citra contuſionem & attritum nequeunt. Sic ſagittarum telorumque generi, diſcrimen exiſtit inter ſe, tùm in materia, tùm in formâ ſeu figura, modò & facultate, ſeu viribus; ut ſint alia lignea,

alia arundinacea, alia extremo pura, alia præpilata, alia ferro, cornu, vitro, oſſe armata: rotunda alia, alia angulata, mucronata & falcata, alia ſolo ferro, alia veneno delibata: hæ omnes non in impulſione ſolùm grave corpori inferunt damnum, ſed in earum extractione, quoque novas inciſiones, dilacerationes venarum & arteriarum, nervorum & tendinum, cauſantur, novamque ad exitiales hæmorrhagias anſam præbent. Accedit & hoc, quod his contuſis vulneribus nulla ſutura conveniat, ob inſequentem ſaniem & putrefactionem, ut rectè nos admonet *Galenus*, dicens: *Neceſſe eſt contuſum putreſieri, & in ſaniem converti:* fruſtraneus ergò non tantùm erit labor, & ſutura ipſa corrumpetur, ſed ſpaſmus etiam dolorque intenſiſſimus augebitur. Obſervetur id quoque; ſi particula deerit, aut ab aëre alteratio jamjam facta. Nam ab aërea alteratione occultè ſanies eſt generata, quæ digeſtionem c. abſterſione maximè proclamat. Quoad figuram denique vulnera evadunt magis minusvè periculoſa. Et quemadmodum angularia, vel fibrarum ductus ſequentia, facilioris ſanationis exiſtant: ita rotunda & in orbem vulnera pejore ſemper ſunt conditione, ob difficillimam unionem ac conſolidationem, quam præſtant. Imò eò majora ſemper cenſentur vulnera, quò extrema ipſorum & labra longius ſunt à ſe ipſis diſſita, quod præprimis ſphæricis vulneribus contingit.

§. XXVI. Propoſitis primariis, progreſſum facio ad cauſas ſecundarias, ob quas difficilis ſæpè quæſtio inter Medicos & Jure-Conſultos eſt habita. Has etiam ſanationem vulnerum difficillimam reddere, neminem fore negaturum exiſtimo. Fatetur id quoque Hippocrates Latinus, *Cornelius Celſus*, quando *L. 5. C. 26.* ita loquitur: Confert etiam aliquid & ætas & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus; quia facilius ſaneſcit puer vel adoleſcens, quàm ſenior: valens, quàm infirmus: neque nimis tenuis neque nimis plenus, quàm ſi alterum ex his eſt: integri habitus, quam corrupti &c. At verò cum inter, ad ſanandum difficilia, & lethalia, vulnera magna adhuc occurrat differentia, videbimus an, & quomodo lethalitas ex his judicanda veniat. Et primò ſe ſiſtit diſpoſitio ſ. Conformatio corporis nativa; ubi in

uni-

univerſum ignorandum non eſt, in vulnerationibus omninò ad eam maxime reſpiciendam, lethalitatisque formalitatem exinde quoque concludendam eſſe. Finge, naturâ debilem atque infirmum, gravi baculo vel gladio fuiſſe percuſſum, ex quo percusſus brevi poſt mortuus eſt. Cadaver à Medicis inſpicitur, ac de vulneratione renunciatur, ictum per ſe non eſſe lethalem, ſi homo robuſtus eum capite vel corpore exceperit, aſt in hoc homine, quia tenerrimæ fuit conſtitutionis ex percuſſione mortem fuiſſe ſecutam; quæritur an vulnus hoc in ſe fuerit lethale, quod ſanè *in hoc individuo* omninò ita *videtur*: quia inter percusſionem & mortem nulla alia cauſa intermedia interceſſerit. In talibus enim ſubjectis non in genere de Lethalitate judicatur, ſed quomodo illa in hoc vel illo individuo ſe habeat. Sic quoque Facultas Medica Lipſ. d. 7. Jul. 1668. reſpondit: Indem der Status Controverſiæ, & Nervus eurer Frage anitzo nicht iſt: Ob die Vulnera ventriculi in genere lethal und tödlich/ ſondern pro nunc darüber zu judiciren: Ob die von Euch beſchriebene/ und dieſem individuo beygebrachte Verwundung des Magens/ vor tödlich zuhalten ſey? Idemque repetitum d. 14. Sept. 1668. in literis Reſp. ad Scabinos: Sondern die Frage iſt itzo in ſpecie, nehmlich ob dieſe itzige und dieſem Individuo zugefügte Magen-Wunde/ und zwar/ wie ſie bey der Eröfnung ihrer Qualität/ wie auch denen ſtracks darauf erfolgten Zufällen und kläglichen eventu nach/ beſchrieben worden / pro ſimpliciter & abſolutè Lethali zu halten ſey? *Welſch. de Vuln. Leth. p. 105. & ſeq.* quod obſervari etiam voluit *Zacchias Quæſt. Med. Leg. L. 5. Tit. 2. Quæſt. 2.* quando hanc adjecerit limitationem, niſi infirmitas eſſet omninò lethalis, & quaſi deſperata. In qua tamen circumſtantia Medicos cautos eſſe decet, ne temerè in rebus veriſimilibus, Autoritate ſua pro veris ſtatuendis, nimis ſibi placeant.

§. XXVII. Idem judicium eſto de ætate. Quis non intelligit, juvenem aut virum vulnus magnum facilius ſuſtinere, & Symptomatibus ſupervenientibus, reſiſtere poſſe, quàm infantem, puerum aut decrepitum ſenem? Juniora enim ſubjecta ob ſummam partium mollitiem ac tenuitatem, ad vulnera ferenda

mi-

minus adæquata exiſtunt. Et quid magis ſolenne eſt, quàm ut levi ex ictu horum Calvaria non ſolùm deprimatur, ſed ipſa quoque cerebri ſubſtantia læſa cum meningum vaſculorumque ſangviferorum dilaceratione appareat, qui tamen ictus viro robuſto illatus, lethalis eſſe non ſolet; quis verò vulnus hoc infantis mortiferum, *per Accidens* dixerit Lethale. Quod & ſtatuiſſe videtur ex JCtis *Damhouder in Prax. rer. crim. Cap. 77. inquiens*: Si denique quispiam vulneraret infirmum etiam citra læſionem lethalem, vulnerator reus eſſet, (ſi iſte moreretur) homicidii, non ſecus, quàm ſi validum aliquem vulneraſſet. Idem ſentiendum, ſi decrepitus ſenex vulnere non lethali perierit, attendendum enim, an in ipſo ſenis corpore talis extiterit læſio, quæ ſanari non poſſit, & vulnus erit lethale dicendum, an vero talis læſio non reperiatur, homo verò ſenio jam confectus, nihilominus mortuus ſit, & vulnus per accidens lethale judicandum, id quod *Excell. Bohn. in de Renunc. Vuln. p. 115. ex Fieno* illuſtravit. Docuit & hoc *Hipp.* dicens: Species hominum & ætates debere eſſe cognitas.

§. XXVIII. Poſſent plura hac de re dici, ſed properandum ad res ſeu cauſas magis præter naturales: ut pateat, an & iſtæ ſymbolam ſuam ad lethalitatem conferant. Et ſiſtunt ſe primò morbi antecedanei & combinati; de quibus *Fort. Fid. de Relat. Medic. L. IV. Sect. 2. C. 8.* ita inquit: Finge in male habito corpore, ac pravis humoribus referto, cujusmodi ſunt cachectici, elephantiaci, lue venerea laborantes, hydropici, phtiſici ac ſimiles alii, infligi vulnus: non illud quidem in principe particula, ſed planè in carnoſa, & periculo minimè expoſita: nemo ignorat, quàm ſæpè accerrimi dolores, magna inflammationes, febres, convulſiones, pravaque alia Symptomata excitari inde ſoleant: Quodſi igitur ob atrocitatem horum ſymptomatum mors tale vulnus excipiat, quomodo lethalitatis quæſtio erit formanda ac reſolvenda. Examinandum puto ante omnia periculum ſeu gravitatem & levitatem vulneris, dum leve & exiguum vulnus, ſi quando exitium affert, nequaquàm mortis cauſam ſui ratione præſtitiſſe putandum eſt. Eandem ſententiam tulit *Manardus*, ſexto Epiſt. Lib. Ep. 1. cum cuidam,

duo-

duobus in capite acceptis vulneribus, altero ſupra ſupercilium ſiniſtrum, altero prope ſuturam coronalem, in quo exigua calvariæ pars tantùm erat detecta, nihil paſſa præterea, interiiſſet: Credendum eſt, inquit, ea accidentia, quæ octavo & duodecimo die evenerunt, & ſubſequenter mortem ipſam, quæ ex illis eſt ſubſecuta, non magnitudine vulneris, ſed malitia potius humorum & capitis debilitate contigiſſe: dum dyſcraſia talis humorum, Cachexia, partis læſæ imbecillitas, cauſæ per Accidens, non effectivæ pronunciari debent. Idem ſentit *Zacchias Q. Med. Leg. Conſ. 55. n. 10.* ibi: Mors in corpore morboſo in vulnere aliàs ſalutari adveniens, ex culpâ vulneris primariâ eveniſſe, dicenda non eſt.

§. XXIX. Contrario vero modo res hæc deciditur, ſi vulneris gravitas ac periculum evidens ac inſeparabile, mortis cauſam manifeſtaverit: tunc ſanè nec peſſima humorum qualitas abſolutam lethalitatem impediet. Nihilominus tamen ſi prava talis humorum conſtitutio ita conſtituta ſit, ut inevitabilem cauſalitatem afferre poſſit, tantùm abeſt, ut aliquid lethalitati deroget, qvin potius illam contrahat: quale exemplum contigit Lipſiæ ubi Fac. Med. ita reſpondit. P. P. Haben wir doch/ nach beſchehener Eröffnung/ das cranium gantz und unverſehrt/ auch keine rupturam vaſis alicujus in panniculis cerebri gefunden/ dannenhero denn (NB.) vermuthlich/ daß/ ob zwar das Schlagen vor ſich alleine/ und abſolutè nicht tödl. doch hierdurch eine Zerrüttung und Erſchütterung des Gehirns/ und durch dieſe ein Zufluß böſer Feuchtigkeiten/ verurſachet worden/ darauff nicht allein eine Zuneigung zur ſchweren Noth/ ſondern auch/ weil durch materiam affluentem der Eingang der Nerven verſtopfft worden/ der Schlag/ und alſo die Tödtigkeit erfolget/ welches denn NB. in einem ungeſunden und unreinen Cörper leicht geſchehen können. An verò percuſſor pœnâ ordinaria afficiendus ſit, ad J. C. potius remittitur tribunal. Nudis etiam conjecturis, & quidem ſuper abſolutè dubiis opinionibus fundatis, cavere debet Medicus, ne reum frivolè gravet, & judicem aut perplexum

reddat, aut injuſtum. Alium fingo caſum, ægroti cujusdam, cujus caput inſigni tumore eryſipelaceo tumeat; vulneratur caput ictu non periculoſo, diſparet iſte tumor iterum, & retrocedit quacunque ex cauſa, brevique inſequitur mors, quis verò vulnus hoc affirmabit lethale, dum hic non ex vulnere quà tali, ſed ex pravæ materiæ ad partes nobiliores retroceſſione interiit, qualia exempla quotidiana docet experientia.

§. XXX. *Aëris temperies* quid ad vulnera augenda conferat, tonſoribus non ſolum notum eſt, ſed illa ſæpius in gangrenam faceſſere, ægri ipſi quoque ſuo cum damno experiuntur. Quæ res etiam ne ſine Autorum fide pertranſeat, nonnulla ex multis afferam loca, quæ hanc ſententiam confirment. Sic *Dalechampius* in Gallica ſua Chirurgia, inter ea, quæ ulcerum ſanationem impediunt, non omiſit illam, quæ ab aëre, peſtilentiæ ſeminibus inquinato, advenit, cauſam communem. Dicerat, inquit *Paræus* à Magiſtro *Hippocrate*, mutationes temporum potiſſimum parere morbos: & legerat apud *Guidonem*, hanc maximè cauſam exiſtere, cur vulnera capitis Lutetiæ, crurum vero Avenione, curatu & ſanatu eſſent contumaciora. Idem *Paræus de Renunc.* affirmat, illis tempeſtatibus, quæ in obſidione *Rothomagenſi* & agro *Dyonyſiaco* ſæviebant, ſeu propter cœli & aëris vitium, ſeu propter corporum cacochymiam & humorum perturbationem, omnia ferè vulnera ſclopetis inflicta fuiſſe lethalia. Sufficere hæc poſſent, cum omnia de ſuo effectu, ſatis, opinor, teſtentur. Unicum tamen hoc, quod tanquàm ſingulare *Marc. Donatus* obſervavit, & *L. de Variolis C. 2.* inſertum reliquit, addere lubet. Agitur, inquit ille, jam quartus vel quintus annus, quod in civitate noſtra *Mantuana*, quicunque in capite vulnerabatur, licet leve admodum vulnus ipſis inflictum eſſet, quovis adminiſtrato auxilio ſanari minimè potuerant, qui tamen influxus poſt tertium vel quartum annum penitus abolitus fuit, ita, ut nunc ferè nullus, eâdem in parte ſauciatus, moriatur. Et quid opus, ut aliundè teſtimonia colligere ſtudeam? Nonne apud nos ſingulis ferè annis puerilia exanthemata & variolas, velut contagione

ne quâdam peſtilenti, ſed diverſâ tamen puerorum pernicie, currere notamus. Imò id quoque novimus: plagas capitis apud *Germanos* minus eſſe lethales, quàm apud *Hiſpanos* & *Italos*, utpote calidiores regiones inhabitantes, quia nobis fortean aër crasſior, illis verò ſubtilior exiſtat, ſicque in ſedem ſauciatam magis ſe ingerens.

§. XXXI. Sed properandum ad reliqua, & videndum: quid lethalitatis *ex concurſu Symptomatum* concludere liceat, dum quæſtio oritur, an vulneratus ex *vulnere* an *Symptomatibus*, ſit mortuus. Equidem negandum haud eſt, non antiquis ſolùm, ſed noſtris etiam temporibus magnas propterea graveſque controverſias excitatas fuiſſe, & adhuc hodiè incompeſcibilè fermè inter pleroſque tum Medicorum tum JCtorum, ſub Judice pendere litigium. Verum, huic difficultati multum decedet, ſi modò genera horum Symptomatum, quæ vulneratis accidunt, probè diſtinguamus. Alia enim ex vulnere ipſo, ut tali, & à parte læsâ immediate emergunt: alia aliam extrà vulnus cauſam agnoſcunt: alia indifferenter quaſi ſe habent, h. e. partim à vulnere, partim aliunde & accidentaliter eveniunt. Pertinent hûc ſimul ea omnia, quæ circa ægrum à principio vulneris ad vitæ finem acta ſunt.

§. XXXII. Examinemus hæc breviter. Et ut omnia fiant perſpicua, fingamus ægrum ictûs violentiâ perculſum, qui præceps in terram labitur, cum ſubſequente vomitu bilioſo, cum vertigine & caligine oculorum, cui ſanguis è naribus & oculis manat, accedit delirium cum abolitâ memoriâ & ſenſuum ſtupore. Rurſus alium, qui accepto vulnere torporem ſenſuum ac Spirituum perſentiscit, vexatur lethargo, cum motu corporis ſublato, imminutione ſenſuum, hemiplegia lateris ſiniſtri, Apoplexia, ſtertore, difficultate reſpirandi, ſpumeſcentia ſalivæ &c. aut vulnus ventriculi, quod ſingultus nauſea & vomitus, affectus item ſoporoſi, epilepſia comitantur & ad mortem usque perſiſtant: quæritur nunc, an ex vulnere, an ſymptomatibus perierit æger. Reſp. Si ſymptomata inſeparabilia vulneribusque his propriiſſima judicentur, aut ſi cum ipſo vulnere proveniant,

& ad ultimum vitæ terminum perdurent, ægrum etiam ex vulnere abſolutè lethali interiiſſe judicari, præſertim ſi poſt ſectionem cauſæ reddantur manifeſtiſſimæ. Porrò, ſi magnum in articulo vulnus accipiatur, quod & tendines nervosque ac vaſa ſecuerit, aut etiam dilaceravit, quamquam illud per ſe lethale non ſit, quia tamen periculi plenum eſt, & nullos errores impunè admittit, atque exactiſſimam exigit curationem, omnique cura & ſtudio abſolutam, nec languentes tam exquiſitam victus rationem ſervare ubique poſſunt; ideò ſi quis intereat, minimè errabis, inquit *Fort. Fidel.* ſi vulnus mortis cauſam præſtitiſſe referes: niſi tamen notabilis error in Curatione commiſſus ſit. Et de abſoluta lethalitate non ſit quæſtio.

§. XXXIII. Dantur deinceps ſymptomata, quæ vulneratis non ſemper ſuperveniunt, ſed ex alia cauſa propria, originem ſuam trahere videntur, quæ deinceps pro morbis diſtinctis à Medicis communiter habentur, qui nihil cum vulnere habeant commercii, & per conſequens, ex his ſi pereat æger, non ex vulnere ſed ex morbo periiſſe putant. Poſſem hæc iterum illuſtrare exemplis: ſed pro me rectius doctiſſimum *Fienum p. 54.* ita loquentem adducam: Si quis, inquit ille, læſus in ventre, & ſupervenit Apoplexia, & vulneratus eſſet ſenex, probabile eſſet, illam apoplexiam ortam eſſe ex propria cauſa ac diſpoſitione cerebri, & non ratione vulneris illius, quia talis morbus non eſt natus, ſequi tale vulnus, & veroſimile eſt, talem apoplexiam eventuram fuiſſe, etiam ſi vulnus non fuiſſet inflictum, & proinde non vulneri, ſed apoplexiæ eſt imputenda mors. Sic ſi quis in capite vulneratus eſſet, & ſuperveniat phlegmone, indeque gangræna in pede, ex qua mors ſequeretur, tum cenſendum eſſet, illum non ex vulnere, ſed ex alio morbo, qui fortuitò ſupervenit, mortuum eſſe.

§. XXXIV. Sunt denique ſymptomata, quæ ad vulnus non minus ac alias cauſas referri poſſunt. Talia ſæpe nonnihil difficultatis nobis parere videntur, e. g. ſi quis ex vulnere capitis cæſim inflicto cum manifeſta vel minus notabili Contrafiſſura ſuperveniente pleuritide poſt tertiam demum vel quartam ſeptimanam moriatur: aut ſi quis tendinum & nervorum in artubus dila-

dilaceratione ob deliria, motus convulſivos, alioſque atroces affectus per conſenſum generatos mortem patiatur. Hæc ſymptomata, quanquam mortifera eveniant, de abſoluta tamen ejus lethalitate ambigere quis poſſet; cum tales regiones læſæ externæ Chirurgiæ locum concedunt. Dicunt ergo nonnulli: ſi à principio ſemper vulnerati habeant deterius, vulnus fuit mortis cauſa; ſin melius quandoque habeant, deinde moriantur, aliis cauſis mors debet adſcribi. Sed fălſum. Nam multæ ac graves dantur ægritudines ac præſertim malignæ, quorum aliquando ſævities intermittat: mortem tamen propria magis naturâ afferunt. Quid? quod remitti aliquantum citoque rurſus ex intermiſſione invadere, malignitatis proprium eſſe indicium ſcribit *Galenus 1. Epid. 2. Com. 25.* Id tamen inconcuſſæ manet veritatis, judicium horum vulnerum interdum eſſe difficile: & ut ancipitem quaſi habent naturam, ita ancipitem quandoque præbere ſententiam: niſi ex diligenti attentione eorum, quæ tàm ratione diætæ, quam Medici & Chirurgi, ſolertiæ ac ſcientiæ, cùm vulnerato acta ſunt, omnibusque collatis inter ſe tandem appareat: an ex naturâ vnlneris ipſius, an aliundè mors ſucceſſerit. In dubio verò, mitior ſententia præferenda eſt.

§. XXXV. *Diætam* in cibo & potu ad ſanitatem vel reſtaurandam vel deſtruendam plurimùm conferre, extra omnem dubitationis aleam eſt ponendum: ſiquidem à victu pleniore, potuque vini generoſioris, *Febres, exæſtuationes*, aliaque mala graviſſima accenduntur, quæ mortem ipſam inducere poſſunt. Id ſi tales errores præſtant in ſanis, quid non præſtabunt in vulneratis, dum levi ſaltim ex cauſa, inflammationes, aliaque vulnerum ſymptomata, accelerantur. Et profectò, culpa vulneratorum ſat gravis eſt, ſi nimis cibo & potu, ad ebrietatem usque, ſe ingurgitent, ſi tabernas frequentent frigidas, ſi cibo potuque utantur prohibito, frigido præprimis. Triſtia horum exempla qui deſiderat, adeat *Ephem. Germ. Dec. 3. anno 1. Obſ. 98. & Dec. 2. anno 9. Obſ. 39. anno 9. Obſ. 20. & alibi*, ubi ex potu frigido mors fuit ſubſecuta.

§. XXXVI. Nec prætereunda ſunt *animi pathemata*, quæ pariter magnas in corporibus excitant turbas, multorumque &

non levium affectuum occaſiones præbent: Quatenus omnes humores, eorumque motus, rapido ac violento impetu modò revocantur, debilitantur & extingvuntur, ut exhauſto vitalis humoris perenni fonte, per præcipitem virium omnium lapſum cita mors & inopinata veniat. Cujus rei fidem quotidiana ferè facit experientia. Sic refert *Guilielm. Fabric. Hild. Cent. 1. Obſ. 17.* de vulnere capitis, cum cranii fractione, quod ad ſuppurationem feliciter perduxerat, remotis omnibus ſymptomatibus: Elapſo vero decimo quarto die, æger irà commotus, recidit in febrem ac phreneſin, ita, ut quarto poſt die, è vita deceſſerit. it. *Obſ. 18.* de arteriâ deſuper muſculo Crotaphite inciſa, & penè ſanata, quæ ex animi commotione, ſummo cum vitæ periculo iterum fuit rupta. Similis Tragœdiæ recordatur *Johannes Matthæus in Cent. Difficultatum Medicarum Quæſt. 37. p. 81.* Vidi, inquit, in Aula Illuſtr. Princ. Ern. Frider. Marchion. Badenſis: Cum enim ejus Celſitudinis Cubicularius Johan Beckler, juvenis plethoricus, gladio obtuſo, ut eſſe ſolent, quibus pugiles ſe exercent, ab imberbi adoleſcente in palpebra inferiore leviter contunderetur, ira & indignatione percitus, ægerrimeque ferens, quod à puero & diſcipulo ſuo vinceretur, in gravisſimam convulſionem epilepticam incidit, quæ quatuor vel quinque horarum ſpatio vitæ finem fecit. Quodſi plures caſus eorum, qui ob conſimiles animi motus derepente vitam finiverunt, recenſere vellem, actum omninò agerem. Tales verò mortis cauſas nihil abſolutæ lethalitatis inferre, illuſtrat *Thomæ Barthol.* obſ. quæ continetur in *Act. Med. Hafn. Vol. 1. p. 86.* ibi: In ſupremo Juſtitiæ Tribunali Hafniæ 1672. cauſa ventilata fuit mulieris otthinianæ, quæ à judicibus inferioribus rea judicata fuit homicidii, quia alapam ancillæ dedit, quæ exinde irâ ſefferveſcens, quinto die fatis ceſſit. In ſupremo vero judicio abſoluta fuit matrona honeſta, prudentisſimis Patrum conſcriptorum calculis, & Regià ſententia definitiva, eô, quod non alapæ vi, ſed malo animo & iracundo, mortem ipſa ſibi conciverat, impotens ſui ancilla.

§. XXXVII. Judicatur denique Lethalitas ex ipſa Medici

& Chirurgi ſolertia & doctrina: ſi Symptomata præſentia aut ſupervenientia, qualia ſunt inflammationes, febres, deliria, convulſiones &c. tempeſtivè non tollant, aut ſaltem præcaveant; ſi in ipſa vulnerum tractatione non rectè ſe gerant, aut nova operando Symptomata inducant. Sic culpa Medici fiunt lethalia, ſi facultates medicaminum aut planè ignoret, aut fallacia, periculoſa, minusque experta adhibeat. Chirurgi vero cum vulnus ſpernit, & non magni ponderis eſſe putat, ſicque non agit, quæ in artis potentia ſunt; Si venam planè non, aut minus tempeſtivè tundat, ſi hæmorrhagiam non ſupprimat, fragmenta oſſium atque heterogenea non removeat, ſangvinem extravaſatum, vel conſultò, vel negligentia, vel ex defectu inſtrumentorum, vel hujus ἐνχειρήσεως ignorantia, non educat: quod tamen abſolutæ quandoque neceſſitatis eſt: ſi evidenter nimirum conſtet, ſanguinem inter Cranium vel utramque meningem eſſe collectum, qui poſteà putrefieri incipit, tardius & citius, ſecundum quantitatem ſanguinis & etiam ſecundum locum. Si enim inter cranium & duram matrem, tardius veniunt accidentia, quàm ſi inter duram & piam, & tardius inter piam & duram, quam inter piam & cerebrum; Talibus caſibus, tuto poſſumus devenire ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem; cum alioqui nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex Celſo, præſtet anceps remedium experiri, quàm nullum, impiumque ſit relinquere ægrum remediis deſtitutum, Tandem accedit ejus ſtupiditas atque imperitia, qualem deſcribit *Foreſtus Lib. VI. obſ. Chirurg. VII.* imperitus quidam Chirurgus, omentum ex vulnere abdominis propendulum ſine ulla ligatione abſciderat, non multis poſt diebus vulnerato mortuo, & ſangvinis, profuſione, & omenti putrefactione. Tale quoque exemplum refert *Bonet. in Anat. Pract. L. 4. Sect. 4. Obſ. 18.* quidam, inquit, muſquetum exoneraverat, crepante tubo, pars ejus, ſex longa pollices, ſesquidigitum lata per narem ultra auriculam ſub pericranium ipſi adacta; quod cum Chirurgus, & ſenex non animadvertiſſet, narem genamque contiguam conſuit, ferro ſecante intus relicto: dum ille medetur, quoties faciem tangit,

tangit, ſanguinis plurimum, ferro acutiſſimo carnem ſc. ſcindente, emanabat. Nono die mortuus eſt. Sectis a Chirurgo ſuturis, cum illum raſorii apicem frangentem viderem, ad motis digitis, ferrum adduco. Hunc educto ferro, curari potuiſſe certiſſimum eſt, inſano enim dolore, & nimia hæmorrhagia enectus eſt. In his ergo ſi peccent Chirurgi, ſive omittendo, ſive committendo, ipſi vulneri mors ſubſequens imputari nequit, ſed Medico & Chirurgo. Declarat hoc etiam per plura exempla ex *Fieno Excell. Bohn. in Renunc. Vuln. p. 127.* Contrà verò, ſi juxta indicationes debitas, methodumque medendi genuinam, acta fuerint omnia, nihilominus tamen citrà optatum ſucceſſum, ſpes vitæ decollat, neque ultra ſphæram artis quicquam ullo jure poſtulari poterit à Medico & Chirurgo.

§. XXXVIII His ergo ad hunc modum conſtitutis, non erit admodum difficile in contexendis apud Judicem renunciationibus, Prognoſin ſeu judicium ferre, de eventu læſionis ac Lethalitatis formalitate. Sed cum Medicus non minus ac Chirurgus, non mortuo ſolùm ſed vivente adhuc ægrotante, haud rarò harum illarumve partium læſionem, vulnerisque periculum dicere teneantur, *de Vulnerum diagnoſi* breviter dicere operæ prætium pariter, ac neceſſe eſſe exiſtimo. Id autem boni ac prudentis Chirurgi erit officium, ut de præſenti diſcrimine, & ancipiti vulneris ſtatu callidum ſe præſtet ac ingenioſum, ne exigua vulnera minus periculoſa, magna verò mortifera ſtatim judicet, in ignorantiæ aliàs notam, famæque periculum certo certius incurret. Ergo noſſe debet, quæ vulnera magna habenda ſint.

§. XXXIX. Quoad externam faciem vulnera quidem judicatu ſunt facillima, & inanem luderem operam, ſi recenſendis eorum ſignis diagnoſticis diutius imorari vellem, cum ipſa in ſenſus incurrant. Quodſi verò in capitis, thoracis vel abdominis cavitatem penetraverint, ea nonniſi ſagaciori conjectura & accuratiori Medici judicio ſciri poterunt: ſagacisſimum ſiquidem non rarò fugiat artificem, quæ partes internæ vulneratæ ſint, & quousque vulnus penetraverit, niſi anatomiæ fundamentis probè ſit innutritus, & cujusvis partis ſitum uſumque probè teneat

per-

perſpectum. Tale enim ſcrutinium, ſcientiâ anatomica & diligenti partium actionum læſarum nec non excretarum examine unicè nititur.

§. XL. Cognoſces itaque *Cranii* inſignem fracturam, ſi æger ab ictu concidat, ſi ſine ſenſu quaſi dormiens jaceat, ſi excrementa præter voluntatem reddat, ſi vertigine corripiatur, ſi ipſi per nares, aures, osve ſangvis effluat, ſi vomitus bilioſos ſentiat, ſi ab admotis digitis ipſum vel elevatũ, vel præter naturã depreſſum intelligas: ipſorum vero fragmentorũ præſentiam, febris, vertigo tenebricoſa, ſcotomia, dolores acuti, vomitiones, ſopor, torpor, paralyſis, delirium &c. indicare ſolent, niſi teſtæ inſtar figulinæ fractæ, ſonitu iſta percipiantur. *Cerebri membranarumque* vulnera, ſi ſanguis per nares, interdum etiam aures exeat, ſi ſenſus obtuſi, vultus torvus, oculi quaſi reſoluti appareant, aut huc vel illuc moveantur, aut cum caligant & obſcurantur oculi, vel aures obſurdeſcunt, accedit febris continua cum delirio, phreneſi, dolore capitis enormi, qui adductis maxillis exacuitur, ventriculi nauſeâ, vomitu ac ſingultu, & quæ ſunt plura alia Symptomata. *Commoti cerebri* ſigna dat ipſe *Hippoc. 7. aph. 58.* inquiens: Quibus cerebrum concuſſum fuerit ex aliqua cauſa, eos ſtatim voce privari, neceſſe eſt: ut & *Galenus*: eôdem modo apoplectici, ſine omni motu ac ſenſu proſternuntur. *Arteriæ tracheæ* gravia vulnera, & gulæ, cognoſcuntur ex functionis utriusque partis abolitione: dum nec loqui, nec cibum potumvé deglutire valent, dolor ad dorſum percipitur plurimus, fauces cum ſanguine replentur, è larynge cum aſſiduâ tuſſi ſanguis excluditur, flatus ſpiritusque per vulnus erumpunt, vox adeſt rauca, linguæque ariditas.

§. XLI. In *Thoracis cavitatem* penetraſſe inſtrumentum intelliges, ſi aër cum ſtrepitu per vulnus erumpat, cum dyſpnœâ, doloreque diaphragmatis tenſivo, ſi ſanguis ipſe per vulnus ab ægro tuſſiendo rejicitur. Ne vero judicio tuo decipiaris, probè notandum venit, quod habet *Columbus L. XV. de Re anat. p. m. 488.* Pulmonem, ait, in pluribus pleuræ connexum vidi, nunc in altero latere, nunc in utroque: atque hæc pulmonum

in nonnullis cum pleura connexio, in cauſa plerumque eſt, ut Medici decipiantur, penetrantia thoracis vulnera nequaquam agnoſcentes: quippe qui hoc Chirurgorum axioma putent, omne thoracis vulnus penetrans, extrà *ſpirare*: at hi, quibus hæc pulmonum connexio cum membranâ ſuccingente contingit, poſſunt vulnere thoracem perforante laborare, neque tamen reſpirare vulnus cernitur. Ipſos pulmones vulneratos cognoſces, ſi ſanguis cum ſpumeſcentia, colore magis rubro, vulnere ac ore prodeat; ſi ſpiritus ſono feratur cum inſigni difficultate reſpirandi, tusſi laterumque dolore. *Cor* vulneratum apparet, ex ingenti ſanguinis copia, quæ per vulnus erumpit, cum corporis totius tremore, pulſu languido & parvo, faciei pallore, ſudore frigido, cum frequenti Syncope, extremorum artuum perfrigeratione ac præpropera morte. Pertuſo *Diaphragmate*, gravia ſtatim ſe aſſociant ſymptomata, deliria cum dyſpnœa & tusſi, reſpiratio eſt magna cum gemitu & doloribus atrocisſimis per totam humeri partium, iliorum & ſpinæ compagem. *Hepatis* vulnera, copioſum ſanguinem ſub hypochondrio dextro profundunt, pallet ægrotus, tusſit, febricitat, dolores perſentiſcit ad jugulum usque, & quæ ſunt alia. Per vulnera *ventriculi* cibus potusque non ſolùm effluit, ſed ſingultus quoque, bilis vomitus, citò inſequitur, convulſiones, ſudores ſyncoptici, & tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt. Percuſſo *liene* ſanguis à ſiniſtra parte prorumpit niger, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt ac dolent, ſitis ægrum divexat &c. Vulnerata *inteſtina*, odore, proprioque dolore ſtatim ſe manifeſtant, ipſæ quoque fæces per vulnus effluunt. *Renes* vulnerati dolorem ad inguina diffundunt, urinam verò vel planè non, vel difficulter, vel cum ſanguine excernunt. *Veſicâ & ureteribus* vulneratis, dolor ex inguine ad ilia aſcendit, pubis regio inflatur, urina cruenta excernitur, eademque ſæpè etiam per vulnus redditur: Supervenit quandoque ſingultus & vomitus. *Uterus* affectus ſi non majora, eadem tamen infert ſymptomata, ſanguisque ſimul per genitalia effluit. Ex *Vena Cavæ*, & *Arteriæ Aortæ* vulneribus,

ſubitò

ſubitò ægrotantes pallent & promptisſimus eſt interitus, propter rapidam multamque ſanguinis vitalis evacuationem, quæ cordis pariter ac pulmonum motum in momento quaſi deſtituit. *Medulla* tandem *ſpinalis* læſa, gravia excitat ſymptomata, *paralyſes*, nec non *Convulſiones* ſubitaneas, partes ſubjectæ ſenſu omni motuque ſtatim privantur, veſicæ & alvi excrementa vel præter voluntatem fluunt, vel omninò cohibentur. Et quis omnia enarrare poteſt ſymptomatum genera?

§. XLII. Hæc ferè ſunt ſigna, ex quibus inſigniter vulnerata pars, etiamſi abſcondita, haud difficulter cogniſci poteſt. Cave tamen putes: certa hæc certis partibus asſignata ſymptomata, læſionem factam, ea ſtatim omnia, ordine recenſito, ſequi debere: falleris ſi credas; prout enim major vel minor, levior vel profundior læſio contingat, ſic majora minorave accedunt ſymptomata, nunc conjunctim, nunc ſigillatim, pro alia atque alia vulneris, ſubjecti, loci, & aëris, conſtitutione. Hæc autem ſi minimè appareant, nec illas percuſſas eſſe, certò affirmabis. Nunquàm tamen ſuaſerim, ut in judicando nimium ſis temerarius, h. e. certò & infallibiliter ſententiam vitæ & necis dixeris: fiunt namque & hodiè adhuc monſtra in medicina, & verſa vice, levisſimæ primò intuitu læſiones, à ſymptomatibus horrendis, ſæpiusque morte ipsâ, præter omnium opinionem, excipiuntur.

§. XLIII. Ne itaque impingat heic Tyro Medicus, turpiterque ſe in renunciandò cum barbitonſorum & balneatorum ignara concione det eruditis, diſtinctiones vulnerum probè perſpectas teneat neceſſe eſt, ut Lethalia à non-Lethalibus, ſanabilia ab inſanabilibus & periculoſis, judicioſe ſciat diſtinguere. Olim enim plura lethalia vulnera nominabantur, quàm hodiè, ubi dies diem docuit, & vulnera quædam, tot retro ſeculis pro lethiferis habita, nunc nonniſi certis poſitis circumſtantiis fieri mortifera. De quâ re, quoniam multæ diverſæque hodiè ſententiæ circumferuntur, præſentis mei inſtituti ratio adhuc requirit, paululum his immorari, ut, quid verè ſentiendum, & quale præciſe vulnus lethale dicendũ, palàm fiat. Et ne temera-

rio auſu remis velisque deſtitutus arduum hoc negotium auſpicer, aleamque ſubeam periculoſam, ad tria, ſitum, connexionem & uſum partium internarum, ſemper reſpiciendum erit. Sic facilè poſtmodum ex vulnerum magnitudine ac profunditate, partisque læſæ neceſſitate ad vitam, & ſymptomatum concurrentium atrocitate, periculum pronunciari poterit.

§. XLIV. Lubet hac ratione initium facere à Capite. Hujus vulnera diverſum planè quid ac peculiare, à plerisque aliis præ ſe ferre, multijuga Chirurgorum teſtatur experientia. Quapropter rectè ſtatuit *Hippocr. Lib. de Vuln. Cap. I.* Nullum vulnus capitis leviter contemni debere, quod *Fort. Fid. L. 4. Sect. 2. C. 6.* repetit, dicens: Capitis vulnera ſuâ naturâ nequaquàm tuta eſſe. Et profectò vix cutem quandoque penetraſſe viſa ſunt vulnera, poſt aliquot dies interemiſſe ægros, frequens loquitur obſervatio: imò dubitantem docebunt Exempla, quæ Bonetus *Anat. Pract. L. IV. Sect. 2.* recenſet, qui videri poterit. Ea quoque verè capitis eſt conſtitutio: ut levis cutis affectus per proximas commiſſuras, aut facto foramine, & ſubjectis meningibus, imò ipſi quoque cerebro communicari poſſit. Accidit & porrò, ut cranium alia parte findatur quàm ubi percuſſum fuit, quem cranii reſonitum vocamus, aut Contrafiſſuram, quam etiam *Hippocrates* infortunium appellat. Nec ſine cauſa hoc nomen huic malo indidit Hippoc. Infelices namque ſatis ſunt ac infortunati, qui nec ipſi ſciunt, quô locô læſi ſint, neque Medicus ſatis certus de hâc re quandoque fieri poteſt, niſi cum res ferè jam deſperata eſt. Alio tempore, teſtante *Avicenna*, cranium abrumpitur, integra cute remanente; imò obſervante *Celſo*, tota calvaria integra manet, nihilominus vaſa cerebri interiora conſpiciuntur rupta cum notabili ſangvinis transfuſione: ut propterea diligens opera adhibenda ſit, ſi quis de mortalitate eorum judicium ferre cogatur. Sunt autem cranii vulnera & pericranii lethalibus minimè accenſenda, niſi monſtri aliquid alant, aut ingens *cerebri commotio* ſubſit. An vero *temporum* vulnera, propter *Crotaphitem* muſculum, qui à pericranio tegitur, ab aliis rectè illis annume-

numerentur, inquirendum erit: Hoc tamen verum eſt, lata ac profunda ejus vulnera, ob vaſa plurima, nervosque inſignes, periculo haud carere, quin Symptomata ſatis atrocia, Convulſiones ac ſpasmos maxillæ inferioris, aliarumque partium, metuendæ ſint ſemper. De ſimplici tamen ejus lethalitate ideò dubito: cùm tot conſolidationis ejus proſtent obſervationes, vid. *Scult. Arman. Chir. obſ. 3. Glandorp. Spec. Chir. Obſ. II. & 12. Borell. Cent. 2. obſ. 20. Riv. obſ. 19. Marchetti obſ. Chir. 15. Job van Meckern obſ. Chir. C. 1.* aliosque plures.

§. XLV. *Fracturas Cranii, fiſſuras* item, & *contuſiones*, ob ſangvinis extravaſati collectionem, fragmentorumque ſeceſſum multum periculi fovere, nemo negabit; cum tamen iſtæ & perfectè ſæpius curentur, indifferenter lethalibus annumerari non poſſunt; ſiquidem iſtæ obviæ adhuc medelæ Medici pariter ac Chirurgo locum concedunt, niſi inſignis *cerebri commotio* unà cum *ruptione* vaſorum ſangviferorum tanquàm mortis cauſa, cum lethalitatis Symptomatibus ſeſe manifeſtent: quibus nulla ope, nulloque conſilio mederi licet; aut fruſtula oſſea ita abſcondita hæreant, ut quò arripiat chirurgus neſciat. Idem ferè ſentiendum de Reſonitu ſeu Contrafiſſura, ubi nec oculus, nec ratio, neque manus Chirurgorum aliquid præſtare valent, quicquid etiam Celſus aliique pro detegendis illis ſine omni tamen effectu proferunt, præſertim ſi in ipſas ſuturas aut muſculos temporales inciderint, heic ſanè minimè errabit Medicus, ſi iſta abſolute Lethalibus adſcribat.

§. XLVI. Meningum è contrario vulnera per ſe ſpectata, non æque periculo expoſita eſſe videntur, niſi partibus ſimul ſubjacentibus injuria illata fuerit: quanquàm Plinius *L. II. c. 37.* ſcribat, mortiferum eſſe, ſi alterutra membranarum, cerebrum involventium, rumpatur. Praxis enim & obſervatio oſtendit, hoc non eſſe veritatis perpetuæ: dum necesſitate ſic jubente ſtudio præmeditato ipſæ haud rarò à Chirurgis cultelli acie felici cum ſucceſſu incidantur ac aperiantur, ubi nimirum ſangvinis extravaſati vel materiæ purulentæ harum cerebrique ſpacium occupantis metus ſubeſt: quâ de re pasſim videri poſſunt

Autores. Ipſe inſuper multos me vidiſſe curatos memini, quibus matres ambæ fuerint ſauciatæ. Quodſi autem aliquando mors ſuperveniat, ejus certe ætiologia aliunde erit petenda, vel ex vehementi cerebri concusſione, vel vaſorum ſangviferorum diſruptione, vel ſinus cujusd. harum membranarum dilaceratione aut contuſione. Id ſi contingat, ob incompeſcibilem hæmorrhagiam actum eſt de homine.

§. XLVII. *Cerebri & Cerebelli* vulnera, dum ſine externarum partium læſione fieri nequeunt, pro periculoſis quidem haberi poſſunt; ſed an eapropter omne cerebri vulnus indifferenter pronunciandum ſit lethale, nunc indigitari meretur. Sunt quidam, qui cerebrum læſum, aut etiam ipſius tunicas, mortem neceſſariò conſequi putant, quos inter eſt *Hippocr.* qui ſic ſcriptum reliquit: veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto transverſo &c. lethale eſt. Sed temperandum nonnihil erit de his, rigidius illud judicium; dum cerebri vulnera etiamnum cum ipſius effluxu contingentia fuiſſe tamen curata, multa adſunt autorum teſtimonia, vid. *Diemerbr. anat. L. 3. 3. C. 5. Jacob. Berengar.* celebrem olim in Bononienſi Acad. Chirurg. Profeſſ. *in Tr. de Fr. Cr. Fallop. de Cur. vuln. Horat. Augen. Fr. Arcæum L. 5. de C. V. Anton. Muſ. Braſſavol. Ambroſ. Paræum, Schenck. Cabrol. Heinr. Petræum Sennert. Med. Cri. Ammon. Muralt. obſ. 150. Miſc. Nat. Curioſ. Dec. 1.* aliosque; qui ex vulnerata *cerebri ſubſtantia*, cum deperdita quoque ejus portione ſanitatem hominibus reſtitutam fuiſſe perhibent. Imò ipſe virum adhuc nunc ſuperſtitem me Lipſiæ vidiſſe, pro vero venditare poſſum, qui tantam ex infortunio Calvariæ fracturam paſſus fuerat, ut exiguam cerebri portionem in vitro quôdam aſſervatam aſpectui omnium opponeret Chirurgus. Cerebri certè vulnera nisi profunda, diſſectis vaſis ſangvineis, & ad ventriculos usque penetrantia, nervorumque principia ac nervos ipſos lædentia, non ex necesſitate mortem inferre teſtatur *Galenus in Comment. ad hunc Sect. 6. aphor. 18.* quod lethalitatis judicium mox dein ab inſigni actionum vitalium læſione, ſyncope, aſphyxia, delirio, convulſionibus, paralyſi, vomitu, oblivione, ſopore, aliisque, declarare poſſumus. Quanquàm autem hoc meum aſſertum à nonnullis in dubium facile vocari poſſet, ex mirabili

illa

illa, & fermè incredibili obſervatione *Galeni*, de *Smyrnenſi* adoleſcente, qui vulnus in altero arteriorum cerebri ventriculorum majuſculo acceperat, & ſolâ voluntate Dei ſanatus fuerat: aut ex *Marcell. Donati Lib.5.* de Medica Hiſtoria mirabili, *C. 4.* multorum vulneratorum exemplorum recenſione: in quibus non ſolum inciſi vulneratiq; panniculi, ſed in ipſam etiam ſubſtantiam vulnus penetrarit, & quod mirabile eſt, usque ad os baſilare. Iſta tamen exempla inter rariora & contingentia meritò ſunt referenda, à quibus tanquàm naturæ miraculis & particulari aliquô ad univerſale inductio facienda non eſt: quin eadem potius in Collegiis Medicis pro abſolutè lethalibus communiter habeantur.

§. XLVIII. Quod de *Cerebro* dixi, debetur & *Medullæ ſpinali*, tàm ſuperiori, quàm inferiori judicium, quippe quæ nihil aliud eſt, quàm cerebrum prolongatum, & in ejusmodi fibrillas tenuiſſimas diductum, ut ſecundum ipſum *Galenum de Uſ. Part.* velut alterum quoddam cerebrum, omnibus iis, partibus, quæ ſub Capite ſunt. Meritò ergo, ob nobiliorem uſum, inter partes refertur nobiliores, & principes, ſine quibus vita ſimpliciter conſiſtere nequit, quâ læsâ, atrociſſima ſtatim exiſtunt ſymptomata, imò quantò in *ſublimiori* ſpinæ *parte* acceptum fuerit, tantò lethalius eſſe hoc vulnnus deprehenditur. Omnibus notum habetur Experimentum, etiamnum hodie fortè apud nonnullos in uſu ad necandos boves, ubi, opima taurorum corpora exiguo concidunt vulnere: Venatoribus autem ad Cervos penitus jugulandos proprium, den Genickfang appellant; Tenui namque ferro commiſſuræ cervicis immiſſo, & quidem illius articuli, qui caput collumque committit, tanta illa moles momentaneâ morte corruit. Idcirco etiam profunda hæc *ſpinalis Medullæ* vulnera, circa ipſius imprimis originem inflicta, eſſe abſolutè lethalia, Medici unanimiter ſtatuunt. Ea vero quæ in ipſius extremitate occurrunt circa os potiſſimum ſacrum, lethalia non ſunt; quia ſubinde medelam admittunt, vel præter *paralyſin*, nullum aliud relinquunt incommodum. Vid. *Fallop. de Vuln. c. 12. Ammann. Med. Crit. Caſ. 49. p. 306. ſeqq.* Imò quemadmo-

admodum læſio non eadem ſemper, ſic ſymptomata quoque diverſa notantur, uti rectiſſimè docet *Galenus*: Si Spinalis Medulla in aliqua vertebrarum integrè læſa ſit, omnes partes inferiores reſolvuntur, ſi verò in altera tantum par te, altera manente illæſa, partes duntaxat, quæ illi è directo reſpondent, reſolutio infeſtabit.

§. XLIX. Ordo nunc immmediatè tangit vulnera examinanda aſperæ arteriæ. Hæc quàm neceſſaria corporis noſtri pars ſit, experimur omnes, dum ne momento quidem uſu ejus aërem admittendi ac emittendi, carere poſſumus: dividiturque communiter in partem externam, quæ in anteriore cervicis ſeu colli parte conſpicitur, & internam, quæ in thorace recondita eſt. Læſa ejus ſubſtantia, quæ membranoſa partim, partim cartilaginea eſt, indifferenter mortem non infert, quanquàm aliàs vulnera ipſi inflicta ratione cartilagineæ ejus ſubſtantiæ, motusque ejus continui difficulter ſanentur. Sic vulnera ejus feliciter curata legimus apud *Paræum L. 9. C. 29.* Teſtis quoque eſt *Laryngotomia*, ubi arteria eorum, qui lethali Angina ſoffocantur, ſalubriter artis lege perfoditur. Nihilominus tamen ſi partes cartilagineæ multum ſint ſauciatæ, & nervi, venæ, arteriæque periculum augent, ob partis nobilioris uſum deſtructum, reſpirationem maximè turbatam, denegatamque vulneris coaleſcentiam, non immeritò per ſe lethalia dicuntur, ſi *pars inferior in pectore abſcondita* plagam perpeſſa fuerit, tunc enim omnis artis potentia ad conſolidationem eſt prohibita.

§. L. His ſubjungo vulnera *Oeſophagi*, quoniam hicce aſperæ arteriæ immediatè ſtatim ſubjicitur, nec aliud poſtulat judicium. Eum autem Canalis hic obtinet ſitum, ut vix ſauciari queat, quin aliæ circumcirca adjacentes partes, *medulla ſpinalis, arteriæ carotides, venæ jugulares, trachæa*; lædantur, vel ſimiles. Quodſi tamen læſio ejus contingat, ſuperficiaria ſaltim, minus erit periculoſa, quatenus ob fibrarum carnearum texturam quam poſſidet, paucos intra dies conſolidationis ſpes iterum apparet. Et quanquàm deglutitio alimentorum propter inflammationem aliquam, ſpasmumque fibrarum, ad duos vel tres dies impediretur,

tur, nemò tamen propterea vitam cum morte commutare tenebitur: dum morbo decumbentes haud rarò per longius ſpatium hunc alimentorum defectum ſine vitæ diſpendio ſuſtinere poſſunt. Aliter verò ſe res habet, ſi infundibulum hoc profundius, vel transverſim, vel in inferiori, in pectore deliteſcente, parte, vulnere præprimis majore, ſaucietur: tunc ſanè vulnera iſta, ob cibi potusque tranſitum denegatum, vel deglutita alimenta, in aliena ſpatia elabentia ac putreſcentia, ob medicamina applicandi difficultatem, aliaque ſymptomata maximoperè urgentia, per ſe lethalia cenſenda veniunt.

§. LI. Devenio nunc ad thoracis vulnera, quippe quæ cuncta, nonniſi ſagaci conjecturâ, accurato medici ſcrutinio, & exactâ Anatomes notitia, innoteſcere poſſunt: alia ſiquidem altiùs penetrant, alia in ejus capacitatem haud deſcendunt, alia in partes usque contentas plus minus pervadunt: quo fit, ut alia Lethalia, alia non æque dicantur. Inter has partes primatum tenet *Cor*, quod Principis ad inſtar Vitalis Reipubl. clavum tenet, ſalvumque Jus vitæ & necis obtinet. Hinc vulnera ejus Lethalia eſſe, docuit *Hippocrates*. Sed hæreo, an reliqua hujus Viri autoritas tanta etiam ſit, quin dicti hujus univerſalitas adhuc pateretur exceptionem, cum frequentes Autorum obſervationes contrarium teſtentur. Equidem, dum ſcripta ejus perluſtramus, ipſe hâc in parte à ſeſe diſſenſiſſe videtur: quatenus τὸ lethale, (affirmante etiam *Galeno in aphoriſm. Comment.*) ſæpius dixit de iis, qui ex neceſſitate ſunt morituri, ſæpius autem de iis; qui magna ex parte. Sic vulnera *Cordis ſuperficialia*, ſanata legimus apud *Dolæum Encyclop. Chir. L. 6. C. 5. p. 1433. Schenck. obſ. Med. L. 2. p. 225.* Quibus ſubjungo *Cabrolium*, qui obſerv. 26. refert: ſe in ſuſpenſo fure in baſi cordis ad coronariam, animadvertiſſe *cicatricem*, duos latos digitos longam, teſtonemque ut vocant Itali, craſſitie æquantem. Quid enim hoc aliud notaverit, quàm *vulnus* (an ulcus?) conſediſſe, in parte exteriori muſculoſâ. Quid dicam de aliis obſervationibus ex ſectione *brutorum* annotatis. Elegans ſanè obſervatio eſt *D. Joh. la Serre*, quæ in *Ephemerid. Germ. Dec. 2. anno 6., obſ. 77.* continetur, qui 3. Menſ. Maj. anno 1684. canem cultro anatomico

F ſub-

ſubjecit, remotoque ſterno, globulum unum in mediaſtino reperit, ea in parte, ubi cum *pericardio* unitur, & alterum in ipſo *pericardio*: poſtquam autem ad *Cor* perventum fuiſſet *globulum* detexit, tendinoſæ cordis ſubſtantiæ altius infixum: qui canis tamen robuſtus, pingvisque erat. Idem expertus eſt Excell. *D. Chriſt. Joh. Langius*, Præceptor meus in vivis chariſſimus, nunc poſt obitum piè Devenerandus, in cane quodam, cujus *Cordi* aliquot globi plumbei minores (Schrot,) à vulneribus olim inflictis relicti, carneisque fibris firmiter ſatis poſt conſolidationem perfectam impacti erant. Sic in *apri* corde, globulum plumbeum, & planè carne abductum fuiſſe conſpectum teſtantur aliæ: de pluribus ut nihil dicam. Illud ſaltem Celeberrimi Profeſſ. P. cujusdam *Roſtochienſ.* judicium annecto, qui his verbis exprimit: Denn (1.) iſt klahr und offenbahr / kan auch mit Beſtande nicht geleugnet werden / daß keine eintzige Wunde / excepto vulnere ad cordis ventriculum penetrante, an und vor ſich ſelbſt ſimpliciter & abſolutè lethal ſey; weil ich vor dieſen erwieſen / und ſetze anietzo noch dieſes hinzu / daß auch die Vulnera cordis ſuperficiaria, neque ad ventriculum aliquem deſcendentia abſolutè lethal ſeyn / wie ſolches mit vielfältigen Experimenten könnte probiret werden / wenn es dieſes Orths wäre. An res ita ſe habeat: nolo hâc vice aliquid certi determinare. Hoc tamen certum eſt, Cordis vulnera etiam non penetrantia thalamos, propter impeditam ex continuo pulſu ejusque duritie coalitionem, & compagis muſculoſæ, vitalitatis atque activitatis privationem, *ulplurimum lethalia* utique eſſe exiſtimanda, & quidem vel repentè vel non ita multò poſt, dum ex mille vix unus ex talismodi vulnere convaleſcit. Imò & hoc nos ferire non poteſt, quoniam partis lethalitas non ex eo, quod acciderit, ſed ex regulis ac fundamentis artis judicari debeat. Clara autem res evadit, ſi vulnera vel *auricularum* vel *ventriculorum* cordis cavitatem penetrent, ea ex ſua natura atque neceſſitate lethifera exiſtunt. De quibus rectè Ovidius:

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nullâ vulnera cordis ope.

§. LII.

§. LII. *Pulmonum* vulnera, quæ nunc exponenda ſe ſiſtunt, periculo haud carere, indicat ſtatim viſceris hujus nobilitas: ſiquidem continuata inſpirandi & exſpirandi ſerie, toti œconomiæ animali perpetuò proſpicit, ob quem motum creberrimum duritur pulmo curam recipere ſolet: quod & Galenus innuit: Membra vulnerata, inquit, neceſſe eſt, ut quieſcant aliquantulum, aliter nullatenus conſolidantur. Per ſe tamen Lethalia non ſunt. Leviora enim minusque profunda, quæ ſubſtantiam tantùm veſicularem diſſecant, curationem ſæpius admittunt, teſte *Pechlino in Hiſt. Vuln. Thor. art. 23.* nec adeò periculoſa exiſtunt, niſi quod Phthiſis ipſa facile excipiat. Sed ſi quæras, cur *abſceſſus*, *ulcera*, *putredo*, *marcor*, aliique affectus, qui partes has haud rarò maximè deſtruunt, ac planè conſumunt, hominem non æque ſubitò interimant, ac vulnera? Scias: recenſitos hos affectus, paulatim fieri, ſenſim creſcere, viresque acquirere eundo: quò fit, ut natura, præſertim quæ validior, & junior, eos aliquandiu ſuſtinere valeat: vulnera verò *ſubitaneos* abſolutos, valdeque eſſe violentos, qui ſangvinem profundunt, vires disſipant, ipſum vitæ & pulſus principium ſimul ac ſemel deſtruunt. Ideoque altè nimium & ſubſtantiæ, & vaſis pulmonum pariter majoribus inflicta, venæ puta arterioſæ, vel arteriæ venoſæ, aut bronchiis, in cavitatem usque aſperæ arteriæ, ob inſequentem incompeſcibilem hæmorrhagiam, cui nec manu, nec medicamentis ſuccurrere conceſſum ſit, aliaque lethifera Symptomata, abſolutè lethalibus meritò annumerantur, neglectis omnibus aliorum relationibus, *Tulpii* nimirum, *Bartholini*, *Schenckii*, *Fallopiique* &c. qui certis quibusdam obſervationibus opinionem hanc dubiam quodammodo reddere annituntur. Meram autem incertamque ſpeculationem eſſe quis non videt; Dùm enim talia curata vulnera cultro anatomico nunquàm ſubjecta fuerint, quomodo ſanè vulneris interni profunditas accuratè diſcerni ac determinari poterit.

§. LIII. De *Diaphragmatis* Vulneribus quid ſentiendum ſit, docet ipſe *Galenus*: qui dicit: Transverſi ſepti vulnera, in *carnoſis* quidem partibus, ſubinde coaleſcere ſunt viſa, ejus motu

non obſtante; quæ verò in *nervoſis* ejus hærent, inſanabilia ſunt. Sed prioris generis vulnera quod attinet: ea indifferenter pro minus lethalibus habenda non ſunt, quanquàm ea ſanata apud *Diemerbroc. Anat. p.* 422. *Glandorp. Spec. Chir. obſ.* 27. legimus. Sed quemadmodum vel longitudine vel latitudine variant: ſic in duobus ſubjectis, vulnus lethale & non lethale faciunt. Si ergo talia fuerint, quæ nobilis hujus viſceris functiones enormiùs turbant, periculum ſanè magis magisque notabiliter intenditur; non eapropter ſolùm, quod pars vulnerata in perpetuo motu exiſtens, ob quietem denegatam conſolideſcere nequeat; ſed ob inflammationem, dolorem, ſpaſmum compresſivum, per quem reſpiratione ad tempus cohibitâ, vulneratus è vivis tollitur. Nerveo è contrà circulo inflicta vulnera ab omnibus conſcientioſis Medicis pro *abſolutè lethalibus* non incongruè habentur: quoniam arti nullus ſuppetit modus, quô Symptomatum atrocitas, cor, cerebrum, totumque genus nervoſum infeſtantium, impediri poſſet. Quare *Galenus* audiendus non eſt, qui vulnera ipſa diaphragmatis in parte nervoſa ſemper nō eſſe lethalia docet.

§. LIV. Sed ut progrediar ulterius, ventris inferioris ſeu *abdominis* ejusque contentorum, vulnera breviter examinanda ſuſcipio, ut pateat, quid de illis firmiùs concludi queat. Alia enim modo ſuperficiem attingunt, alia intrò penetrant, alia ſine contentarum partium læſione contingunt, alia eas ſimul graviter offendunt. Integumentorum ſic dictorum abdominis, muſculorum puta, vel regionis epigaſtricæ vulnera, minus præſ. profunda, teſte *Ammanno Med. Crit. Lethalia* non ſunt, quod verò de tendinum, ac lineæ albæ vulneribus à plerisque Medicorum non ſine ratione conceditur: quoniam ex Symptomatum vulnerationem ipſam mox excipientium indole ac vehementiâ utplurimum Lethalia fuerunt obſervata.

§. LV. Inter *contentas* partes læſas, primò conſiderandum venit *Jecur*. Omnia autem huic viſceri illata vulnera, ob theſaurum vitæ unicum, ſangvinem ſc. quem continet copioſiſſimum, maxime eſſe periculoſa, nemo forte negabit. Equidem is minimè ſum, qui cum *Democrito, Galeno*, aliisque, qui horum vexilla ſequun-

quuntur, hepar ſangvinis officinam eſſe ſtatuam, indeque prærogativam quandam illi aſſignem; ſufficit, totam viſceris hujus compagem venulis arteriolisque copioſiſſimis ita eſſe inter textam, ut ne minima ejus pars, ſine hæmorrhagia lædi poſſit: ideoque prius interdum moriuntur, quàm agglutinari vulnus poſſit. Interim tamen indifferenter lethalia non ſunt; ſed in dicenda lethalitatis ſententia diſtinctione aliqua adhuc utendum eſt: ſiquidem non ſuperficiaria vulnera, quæ extremas tantum tenuesque viſceris oras lædunt, illæſis adhuc vaſis majoribus, ſed *profunda* ſaltim, cum venæ cavæ aliarumque venarum ac arteriarum læſione, propter ingentem profuſionem ſangvinis, quæ cohiberi non poteſt, & Spirituum viriumque diſſipationem, ex neceſſitate mortem inferunt. Hinc ad quæſtionem datam, ob die vulnera hepatis, illæſis exiſtentibus venâ cavâ, nec non veſica fellea, diaphragmate, atque inteſtinis, ſimpliciter, per ſe & ſuâ naturâ pro lethalibus zuhalten / Gratioſisſima Facult. Lipſ. Med. ita reſpondit: Wenn epar absque læſione vaſorum majorum vulneriret wird / ſo iſt das vulnus nicht ſimpliciter, abſolutè & ſuâ naturâ pro lethali zuhalten: Hingegen aber / und wenn die vaſa majora zugleich mit verletzet werden / ſo iſt das vulnus billig / und zwar aus eben angeführter Urſachen ſimpliciter & abſolutè lethale.

§. LVI. *Cavam* vero hujus partem adhuc occupat *veſicula fellea*, quæ ita abſconditè reſidet, ut ſine inſigni hepatis ſubſtantiæ vulneratione vix ſauciari queat. Cumque uſus ejus Oeconomiæ animali abſolutè ſit neceſſarius, nobilitatem quoque uſus ejus ſimul concludere, vulnera verò ſemper & neceſſario mortem inferre, cum *Franciſco Joële, in Chir.* ſuâ, non immeritò judicare nobis licebit. Et ne ſomnia alere videar, provoco iterum ad Caſum ab Ammanno in Prax. Vuln. Leth. p. 253. propoſitum qui ibi legi meretur.

§. LVII. Idem planè judicium requirunt vulnera *lienis*; ob ſtructuræ & actionis utriusque viſceris analogiam ac ſimilitudinem; hinc etiam alterum quaſi eſſe *Hepar* quidam exiſtimant. Sed quemadmodum nonnulli in exceſſu peccare vi-

 den-

dentur, qui *Lienis* vulnera, ſua natura æque ac *Cordis*, lethalia eſſe crediderint; ut *Celſus*, qui dixit: vix ad ſanitatem pervenire, quibus lien vulneratus: ſic alii in defectu, qui uſum ejus ad vitam non adeò neceſſarium eſſe, indeque integrum ſplenem, ſuperſtite manente vita extirpari poſſe, contendunt. Sed quanquam experimenti hujus veritatem non negem, inſulsè tamen huc trahi illud, quis non videt; dum in extirpatione tali manu artificiosâ factâ, per vincula vaſis injecta, hæmorrhagia feliciter inhibetur. Rectius ergo is judicabit vulnera, qui modo totam illius compagem ex cellulis ſeu veſiculis nerveis ac fibroſis, ſanguine arterioſo turgidis coagmentatam, cognitam probè, perſpectamque habebit; ſic majora quidem ac profundiora, cum vaſorum majorum dilaceratione facta, ob hæmorrhagiam nullâ arte compeſcibilem neceſſariò lethalia, minora verò, minusque profunda, non æque talia eſſe, meritò cenſebit. vid. ſuprà citatum *Franciſc. Joël. in Chir. ſuâ p. 14. & Ammann. Prax. Vuln. Lethal. p. 356.*

§. LVIII. De *Ventriculi vulneribus*, tot ſibi contrariantes Autorum proſtant ſententiæ, ut judicatu penè reddantur difficillima: dum modò cum *Hippocr.* ac *Celſo*, Lethalia, modò cum *Galeno*, *Marcello Donato*, aliisque non Lethalia ſibi conceperunt. Sed quemadmodum textura viſceris hujus non eadem, ſic vulnera non unius ſemper ſunt generis. *Orificio* ſiquidem ſuperiori inflictum, ob plexuum nervorum inſigniorum inevitabilem transfosſionem, ac ſymptomatum vulnus mox excipientium, cardialgiæ intolerabilis, inflammationum, ſpaſmodicarum affectionum enormium, convulſionum, vomitus ſingultusque atrocitatem, ſemper ac neceſſario Lethale, cum *Galeno* habetur: quod tamen de fundo ejus, præſertim quoad partes ejus laterales, ſemper dici non poteſt, dum pauciora mitioraque ſauciatus percipit ſymptomata, vulnusque, quamvis difficulter ſatis, curari interdum poteſt: quod iterum ex *Galen. L. 3. 3. Pract. Sect. 1. C. 15.* probo. Hæc tamen, ſi lata & profunda nimis ſint, ut maſſa alimentaris unà cum medicamentis, in cavum abdominis deponatur, ob digeſtionem

ac

ac diſtributionem chyli fruſtratam, & incompeſcibilem hæmorrhagiam, æque lethalia non immeritò pronunciantur. Sed dices fortean, tale vulnus aliquando fuiſſe ſanatum; quod & *Fallop. de Cap. Vuln. C. 12.* fatetur, ſanavi inquit mulierem & hominem, à quibus egrediebatur Chylus & cibus. Sanavi mulierem, glande percuſſam plumbea, ab anteriori & poſteriori parte &c. quod & cum *Cultrivoro* illo Boruſſo probare poſſes: a particulari tamen ad univerſale non valebit conſequentia, dum & rari, admirabiles, &, ut *Averroes* loqui amabat, monſtroſi ejusmodi ſunt eventus; ſoliusque DEI potentiæ & miſericordiæ acceptum ferendum inquit *Valleriola L. 4. Obſ. 10.* quod plagis planè lethalibus vulnerati, propeque ad internecionem cæſi, incolumes quandoque evadant. Sunt itaque ad minimum ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ lethalia.

§. LIX. *Inteſtinorum* vulnera, num ſint dijudicanda lethalia, meritò dubitatur; cum gravia quoque eorum vulnera frequentius curari, frequentes Autorum obſervationes teſtentur. Dum & inter vulnerationem ipſam magna ſemper occurrat differentia, & modò tenuibus, modò craſſis, modò ſecundum longitudinem, modò transverſim infliguntur. *Tenuium* vulnera, *Jejuni* præſertim, ac per transverſim inflicta lethalia ab *Hippocr.* meritò judicantur; ob tunicæ nimirum nervoſæ ac fibroſæ tenuitatem, vaſorum magnitudinem, chyli affluentiam, curandi difficultatem, aliaque graviſſima Symptomata. Hinc vulnus illud è regione umbilici ad latus ſiniſtrum, quod cultro lato ſutorio ancipiti erat inflictum meritò erat lethale: de quo *Juſtus Veſtus P.P. Erfurtenſ. celeberr. in obſ. Med. rar. obſ. 10.* id refert: quod ileum inteſtinum bis fuerit læſum atque vulneratum, ut excrementa chyloſa adhuc, unà cum potulenta materia in abdominis copioſè deſcendiſſent cavitatem. Reliquorum verò leviora vulnera, agglutinari quandoque poſſe, ſæpius experimur. Quodſi tamen magna, & per transverſum inflicta appareant, tunc ob fœcum elapſarum corruptionem ac putrefactionem, ob eandem ſenſibilitatem, hæmorrhagiam, dolorem, curandique adynamiam, æq; lethalia æſtimantur. Et quamvis ex *Ephem. Nat. Curioſ. ao. 3. obſ. 176. Stelp. van der Wiel Cent. 2. obſ. 25.* aliisque, exempla, quibus eorum-

rundem inteſtinorum plagæ ſalutares contigerunt, allegari poſſint: iſtæ tamen me planè non feriunt, dum illis propter ſectionem non inſtitutam, fides vix habenda ſit; aut per ſingularem naturæ benignitatem, vel circumſtantiam ſatis fortuitam, ſolummodo ſanatæ fuerint. vid. *Ammann. Prax. Vuln. Leth. p. 307.*

§. LX. In *Meſenterii* Vulneribus, reſpiciendum ſemper puto tàm ad longitudinem, quàm latitudinem & profunditatem vulneris: dum totum hoc viſcus copioſa pingvedine, vaſorumque lymphaticorum, ſangviferorum nec non inſigni glandularum ſerie, ſit donatum. Quod ſi igitur ſola tantum ejus ſubſtantia, cum vaſis quibusdam lymphaticis lædatur, ſimplex talis læſio ſauciato lethum inferre non poteſt, niſi plurima horum partium vaſa, arteriæ præſertim, earundemque rami majores ac glandulæ ſimul conſaucientur. Tunc meritò pro ſimpliciter & abſolutè lethali habetur; non eapropter ſolum, quoniam partes abditæ, & in imo corporis ſitæ ſunt, vulnusque rite tractari, multò minus hæmorrhagia, lymphæque ad abdomen profuſio cohiberi poteſt; ſed quod cum ſanguine vires quoque vitales confertim diſſipentur. Nec minus periculum metuendum eſt de læsô *pancreate*, *receptaculo lumbari*, *ductuque thoracico*, quorum ſucci ad vitam ita neceſſarii ſunt, ut horum effluxus, non ſecus atque hæmorrhagia, animam eluere poſſit.

§. LXI. Circa *renum* vulnera quid moneam, tanti valoris non eſt, ut multis his immorer: ſiquidem horum vulnera cum antecedentibus magnam habeant affinitatem. In ſola namque ſubſtantia, quæ denſa eſt ac carnoſa, leviter acceptorum vulnerum infinita forſan ſanatorum exempla ex Scriptoribus corradere poſſem, niſi ipſe conſolidata obſervaſſem. Imò quid eorum inflammatione, exulceratione & ſuppuratione harum partium accidit frequentius, cum inſigni, absque tamen vitæ diſpendio, fibrarum carnearum dilaceratione ac conſumptione. *Majorum* tamen, ac profundiorum, ad cavitatem usque ſeu pelvim, pertingentium c. vaſorum inſigniorum ſangviferorum, quæ ex deſcendentibus venæ cavæ & arteriæ magnæ truncis, rami Emulgentes dictis, ad eos diſtribuuntur, vel ureterum diſſolutione, nunquàm

quam ſalutaria, ſed ſemper Lethalia extitiſſe, penes pleroſque Autorum legere vel obſervare mihi licuit, cum inſignem talem & immedicabilem hæmorrhagiam, vel ſerum quoque urinoſum ad abdominis cavum collectum lethales patrare poſſe moleſtias, ei ipſam partem in Sphacelum inde prolabi, rationi maxime conſentaneũ ſit. Nec aliter judica de *Uteri vulneribus*; quanquã, num vulnerari lethaliter poſſit, apud illos diſceptatur, qui viſcus hoc non vitæ, ſed ſobolis procreationi deſtinatum eſſe aſſerunt: Sed quoniam diſſectis vaſis majoribus hæmorrhagiam inſignem contingere, aut convulſiones cum aliis horrendis Symptomatibus ſupervenire cernimus, Lethalitatem ipſi denegare quis poterit: Argumentum autem in ſe, nullius eſt valoris.

§. LXII. *Veſicæ Urinariæ* vulnera, ob texturam nerveam ſeu membranaceam difficillimæ eſſe coalitionis experientia edocti omnes quidem cum *Sennerto* conſentiunt: qui L. 3. *de Vuln. Veſ.* ita ſcribit: Si veſicæ corpus & pars, quæ nervea eſt, vulneratur, inſanabile fere malum eſt. In declaranda tamen eorum lethalitate maximè obſervamus diſſentientes. Si enim *Hyppocr.* ejusque asſeclas conſulamus, Lethalia iſta deprædicare non dubitant; dum alii è contra non minoris fidei viri, *Kentmann. de Calc.* C. II *Plater. obſ. p. 850. Corn. Stalp. van der Wiel. Cent. 1. obſ. 81.* neutiquam fatalia ea deprædicant. Sed quemadmodum ejusmodi vulnera, quoad menſuram non ſemper ſint eadem, ſic diverſas à diverſis oriri ſententias facile mihi perſuadeo. Exiguum namque carnis interventu coaleſcere exacteque ſanari experientia conrfimat, collumque ipſius, quod maxime carnoſum eſt, quotidiè ſanari docet Lithotomia: quâ cervix ipſius impunè diſcinditur, ut calculi veſicæ extrahi valeant. Latius tamen fundo inflictam, ratione ſingultûs, vomitûs, inflammationis ac ſphaceli, vel dolorum, ſpaſmorum, ac Convulſionum ſupervenientium, vel contentæ urinæ ad abdominis cavum depoſitæ, ſi non per ſe, utplurimum tamen mortem inferre poſſe, nemo forte negabit. Accedit & hoc, quod madeat perpetuo, diſtendatur, parsque ſauciata ab urinæ acrimonia non parum offendatur. Hiſtoriæ verò ſanatæ veſicæ, quæ glande ſclopetaria erat trajecta, cultro perforata, ictu à taurò perrupta non immeritò inter curationum miracula reponendæ erunt.

 §. LXIII.

§. LXIII. Reſtat adhuc, ut *vaſorum*, *nervorum* ac *tendinum* vulnera examinis incudi breviter ſubjiciam. Hæmorrhagia quippe, quæ Vulneratis haud rarò accidit, ut dicatur, der Menſch hat ſich verbluthet/ oder zu Tode gebluthet/ non infimum ex relatione Vulnerum occupat locum. Sæpius à Magiſtratu, Medico imponitur quæſtio: an hæmorrhagia facta lethalis judicanda veniat nec ne? Heic ne erremus, ſciamus: ad veram formalem vulneris lethalitatis rationem, vaſorum ortum, ac progreſſum ſcitu ſummè eſſe neceſſarium: dum una eademque vena vel arteria, lacerata propter ſolius loci ſeu ſitus diverſitatem, pro lethifero & non lethifero judicatur vulnere. Illis equidem contrarius non ſum, qui unicum lethalitatis punctum in amplitudine & magnitudine vaſorum conſiſtere affirmant; quatenus vulneratis venæ cavæ vel portæ, vel aortæ magnæ ramis, univerſo corpori fluido vitali neceſſario defraudato, viribusque ſubitò dejectis, ſubitanea mors ex neceſſitate inſequitur; ſed illud ſaltim prætereundum non eſſe judico, quod & ſitus ad lethalitatem determinandam maximè conducat. Nam quemadmodum majorum vaſorum ſanguiferorum vulnera, modo ſunt in extremis partibus, jure lethalia dici haud poſſunt, ſic minorum, profundius tamen latentium, ob incongrui ſitus rationem, quibus remedia congrua applicari non licet, abſolutè lethalibus ſine omni deliberatione accenſentur. Talia vulnera lethalia ſunt omnia arteriarum ac venarum *jugularium*, *axillarum*, *cruralium*, *emulgentium*, *ramorum iliacorum* per inguina tendentium, ſolùm quod vinculis conſtringi nequeant. Jugulum enim citra ſtrangulatus & ſuffocationis diſcrimen arctari nequit: & arctæ in hoc caſu deligaturæ defectu, ſanguinis lethiferum contingit profluvium. Sed unicum adhuc ſupereſſe videtur conſilium, quod mihi opponi poſſet, vaſorum ſc. ſauciatorum compresſio digitis: quale exemplum recenſet *Rouhyſen* de famoſo quôdam adultero, qui ex Lue venerea graviſſimâ ſanguinis profuſione correptus, è limine mortis revocatus fuit, per vaſis exeſi compreſſionem, fruſtrà adhibitis remediis ſtipticis. Et cum nullo alio cohiberi poſſet ſanguis medio, conduxit æger ſuaſu Chirurgi aliquot ſartores vitæ ſedentariæ aſſuetos, qui alternatim ex in-

cubiis ſedentes, digito vaſis ſauciati labella comprimerent, & ſaluti hujus viri juxta lectum invigilarent. Sed quamvis externis in partibus jocoſam hanc ſpeculationem promtè concederem: ubi tamen profundè nimis deliteſcunt vaſa, pro obturandis his rivulis & occludendis, illam æque ineptam eſſe quis non intelligit. Ne tamen hæc omnia ſine Autorum fide pertranſeant, add. *Reſp. Med. Fac. Witteberg. d.* 28. *Jun.* 1635. ibi: Hierauff berichten wir kürtzlich ſo viel: daß zwar die Vulnera arteriarum und venarum an und vor ſich ſelbſt nicht tödlich zu achten / ſie ſeyn denn an denen Oerthern / dadurch keine menſchliche Hülffe das Blut kan geſtillet werden. Et Lipſ. d. 6. Jul. 1667. als berichten wir hiermit / daß dem eingeſchickten und bey denen Acten befindlichen Berichte nach / dieſe Wunde ſchlechter Dinge vor tödlich zu halten / alldieweil 1. die Verwundung vaſa majora, und zwar nicht allein eine venam, ſondern auch eine arteriam betroffen / 2. das vulnus per transverſum infligirt / indem wie der Bericht beſaget / der ramus major cruralis, ſo wohl venæ cavæ, als arteriæ magnæ zugleich abgeſchnitten geweſen / und dann 3. das vulnus an ſich ſelbſt in ſummo femore geweſen / als an welchem Orte die gewöhnlichen Bande und Blutſtillungen gantz unbequem / und am allerſchwerlichſten beyzubringen / zumahl &c. Interim ſæpe, ſauciatas, arterias, & inſuper cauterio, peſſimo conſilio, aduſtas incompeſcibili hæmorrhagia ægrum tandem jugulare contingit: Quæ, ſi tempeſtivè planè diſſectæ, & obligatæ, fuiſſent, omni periculo caruiſſent.

§. LXIV. Depropero tandem ad *nervorum* & *tendinum* vulnera, quæ itidem vel profundiora & majora, vel minus talia contingunt. Minora ſive puncturæ nervorum parvitatem ſuam vehementiâ ſummâ compenſare, ad eoque diverſum quid, planeque peculiare à plerisque aliis vulneribus alere, vel ex eorum Symptomatibus ſemper atrocioribus ſit evidens. Et profectò, conſenſum, qui mediantibus nervis contingit, omnium eſſe maximum, quotidianâ docemur experientiâ. Quis enim eſt, qui neſciat, à ſubtilisſimis etiam, puncti ad inſtar ab acuto aliquo inſtrumento illatis vulneribus, dolores atrocisſimos, ſpasmos intolerabiles, deliria, vigilias, febres continuas, convulſiones univerſales, aliaque ſtupenda, ac triſtia ſemper, mala contingere; adeò, ut niſi auxilium maturè feratur, actum omninò ſit, de vitâ hominis. Ubi quidem hoc memoratu dignum eſt, quod puncto nervo, memoratt ſymptomata magis magisque augeantur; reſciſſo autem, quodammodo tollantur. Exempla ſi velis, rara ea non ſunt, vid. *Paræum Op. Chir. L.* 9. *C.* 38. ubi Chirurgus forte fortuna nervum pro vena punxerat. Eâdem quoque naturâ & *tendines* gaudere, idem non ſolum vigor ſymptomatum confirmat, ſed & tantum non omnes conſentiunt Medici & Chirurgi: hinc nervi nomine, & *tendines* pasſim complectitur *Hippocrates* & *Galenus*, hicque tria nervoſorum corporum conſtituit genera, *ligamentoſum* puta ex osſibus, *tendinoſum* ex muſculis, & *nervoſum* propriè dictum, ex cerebro ortum. Has inter partes tamen, ratione ſymptomatum, tanta intercedit affinitas, ut dubii quandoque in vulneribus, præſ. profundioribus hæreamus: utrum *nervus* propriè ſic dictus, an vero *tendo* potius, ſit vulneratus. Sed ut & hiſce tandem juxta inſtitutum meum

ſatisfiat vulneribus, periculoſisſima illa ſemper quidem, nec tamen omnia ab- ſolutè & permiſcuè lethalia, æſtimari poſſunt: ſed reſpectu læſionum ipſarum propaginum nervearum, partium quò tendunt, ſitus profundioris vel minus talis, aliarumque circumſtantiarum modò ſic, modò aliter judicanda veniunt. Quodſi ergo vulnera nervorum per ventrem medium præprimis decurrentium, intercoſtalium, vagi paris & Phrenicorum, quibus organa vitalia, ſeu cor ac in- ſtrumenta pnevmatica activitate ſua defraudantur, actionesque vitales inhiben- tur, appareant: de abſoluta ejus lethalitate quis quæſo dubitabit? Sic reliquas nervorum majorum propagines læſas propter cerebri conſenſum, in lethales ſauciatos convulſiones conjicere poſſe palam eſt: dum rarò vel nulla illis mede- la fieri poteſt, horumque Symptomata nullâ arte, nulloque conſilio ſeparare vel abigere ſe patiuntur. De *contuſione* tendinum, qui dubitat, adeat *Paræum L. 9. C. 11. Caſpar Bauh. in Theat. Anat. Valeriolam L. 5. obſ. 5. Ammann. in Med. Crit. p.* 61. cujus ultimi verba hæc ſunt: die Experientz weiſet / daß offtmahls durch eine geringe Wunde übern Kine propter concurſum tendinum ea in par- te, ein plötzl. Tod erfolget. De ſalute verò, quam ex *futura nervorum ac tendi- num* aliqui promittunt, non adeò magnificè ſentio, neque rationes eorum alle- gare heic dignas judico: ſiquidem non adeò promtè nervos coaleſcere per ſe ſit manifeſtisſimum, neque uſus illorum defectu citra totius machinæ deſtructio- nem laborare ſit conceſſum. Sed manum de Tabula.

§. LXV. Hæc ni fallor, erunt præcipua, quæ in hac nodoſa ac intricata, maximeque tamen Medicis & Chirurgis commendatâ materie, circa vulnerum Lethalitatem, conſiderari merentur, quæ fundamenti loco in decidendis hu- jusmodi controverſiis ad Judicis poſtulatum ſufficere poſſunt. Cùm enim pa- ginæ diſſertationi huic deſtinatæ expectatione citius excreverint, vela quoque contraho. Quodſi tamen quædam adhuc deſideres, diſputationem tantùm, non verò Tractatum de hâc materia, me promiſiſſe reputa, imò & illud perpen- dè: Non omnia poſſumus omnes. Et cùm infiniti dentur Caſus, quos excogi- tare omnes nondum licuit, infiniti eſſet laboris, certè ultra meas vires. Fretus interim vulgari illo: In arduis & voluiſſe ſat eſt. Hæc tamen pauca, ne Casſia- rio judicio relegas, ſed potius æquô animô ſuſcipias, quâ decet, humanitate ex- peto. Et ſi quid humani irrepſerit, vel talia, quæ delicatorum palato minus videbuntur grata, erroris veniam ob ſummam materiæ difficultatem ab huma- nitate Tuâ mihi promitto. Tibi verò, Summo Numini, tàm benigno hacte- nus ſtudiorum meorum Directori, pro concesſis hunc laborem conſummandi viribus maximas, quas mente concipere poſſum, refero gratias, Tuæque Sa- pientiæ omnia, quæ à me unquàm elaborata ſunt, adſcribo. Tibi porrò ſtudia factaque mea omnia committo, hæc ita dirigas, ut iis Tua gloria, hancque ſub- ſecutura Proximi ſalus promoveatur unicè: ſic Tibi ſoli laudes lingua mea cantabit in perpetuum, quando nempè gaudii cœleſtis & Gloriæ Tuæ non erit unquàm

FINIS.

Clariſſimo

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

ANtiqvum eſt Medicinæ opprobrium, quod ſit ϛοχαϛικὴ, ſeu conjecturis multum laboret, è quibus, tanquam rebus ſolum probabilibus, concluſiones inconcuſſas formare, ſanæ rationi adverſetur. Sicut autem nemo tam imperitus fuerit, ut univerſis Medicinæ conſiderationibus, ϛοχασμὸν præficere auſit; cum non ſolùm in numeroſis, ſed numero quoque præpollentibus caſibus, non tam conjecturis, ſed tam ratione, quam experientia niti poſſit: Aut, ſi vel maximè circa remotiorum cauſarum perveſtigationem, divinationis Spiritu non polleat, id ipſi non majore jure vitio verti poſſit, quam Magiſtratui, Dei plane Vicario, interim tamen ab Hujus omniſcientiâ adeò remoto, ut vel aliter, quam ſecundum fallacia ſæpe atque defectiva teſtium effata & manca acta atque probata, nihil ſolide juſti, ſtatuere atque decernere poſſit: Vel ϛοχασμῷ non rarò nihilominùs fallaci, ſpecioſis ſuſpicionibus inſiſtendo, methodum veritatis inveniendæ, à Divina Omniſcientia atque Praxi longe magis abeuntem, per carnificinas atque tormenta, tentare neceſſe habeat: Ita nihilominus maximo plane jure atque merito diſtingvendæ omnino ſunt ejusmodi cauſæ & ſubjecta, in quibus medicina ϛοχασμὸν ſuum negare aut diſſimulare minime contenderit, ab alteris illis, in quibus ſeſe melius fundatam eſſe, ſatis certo novit. Sane verò ingens eſt, & ſubinde irreparabile damnum, quod ex temeraria ſpe atque fiducia, in conjecturis quantumcunque etiam ſpecioſis collocata, reſultat; Imprimis quando non tam ipſe eventus, talibus auſibus

in ancipitem caſum tentandus, etiam ipſe conjectura boni eventus palliari poteſt: Sed tanto magis, quando etiam certiſſimus capitalis damni eventus, imò potius effectus, ita ante oculos poſitus eſt, ut unicè à deciſione medici, inauſpicato certe in tali caſu conjecturis innixuri, pendeat. Certe, quantumlibet etiam alias & multas, & fœcundas occaſiones, habeat Medicus imperitus, & κατ' ἀμάθειαν θρασὺς, ex imprudentia impudens & confidens, graviter temeraria ſua authoritate peccandi; neque certior tamen, neque gravior ipſi obtingit, quam ſi in Lethalitatis violentarum læſionum determinatione, ſcientiæ ſuæ atque prudentiæ nimium tribuat, & audacia potius quam fiducia, autoritatem ſuam muniat & confirmet. Suadet certe non magis communis honeſtas, quam meus ipſe genius, atque indoles, quemlibet præſumere bonum, donec probetur contrarium; Et ipſe maxime odiſſe ſoleo levitatem, imò temeritatem, fingendi caſus: Quis autem præſumptioni illi indulgendi ſupereſt locus, quando contrarium probatur, & ex variis, non jam obliteranda memoria emortuis, & pro non factis amplius habendis, ſed ſane longe præſentioribus, exemplis doceri poteſt, quantum in ejusmodi rebus jam neſcio quibus conjecturis, jam ſuæ autoritatis erigendæ ſtudiis, jam æmulationi atque contradicendi prurituι, tribuatur: niſi quidem crudæ prorſus imperitiæ talia adſcribi debeant, quod certe neque ſemper fieri poteſt. Ibi reos conjecturis gravare; Conjecturas ex opinionibus, & vulgo, & maximo ſuo merito controverſis atque dubiis pro rationibus ponere, figmenta caſuum ac eventuum, pro hypotheſi, & ipſo præſente caſu aſſumere, quibus nihil ſimile, nedum geminum unquam fando acceptum ſit: Eventus per probabilem conſequentiam, pro effectibus interpretari: Diſtinctionem lethalitatis abſolutæ, periculoſitatis eximiæ, accidentalis periculi, non applicare; Imò judicium ſuum, vel pro probabilibus reddendis, ac plane determinandis, circumſtantiis temere ſuſpectis & nullo corpore delicti adumbratis, non tam obfirmare, quam ſuſpiciones demum ſuppeditare, imò tanquam pro rationibus decidendi reſpicere &c. ſingula hæc, tanto magis autem pleraq; quid ſunt, ſi non probationes potius, quam præſumptiones conjecturarum

peſſi-

peſſimarum. Ibi quidem tanto pejus eſt, experiri, quod homines ſæpenumero circa res longe minoris momenti, etiam frivolis dubitationibus, tantum ſæpenumero indulgeant, ut ibi abſolute nihil certū, imò vix quidquam probabile eſſe contendant: E contra in illis rebus, quæ vel vitam hominis concernunt, tantum autoritati ſuæ tribuant, ut vel nullis, vel alienis, vel frigidis quibusdam rationibus niti, non dubitent. Ut nunquam ullum hominem in individuo, etiamſi ne quidem immeritum, ſtringere, mei ſit ſive ingenii, ſive moris; Ita neque tamen reformido veritatem, in rebus ubi magnum ejus eſt operæ pretium, colere: contemto, quod illam ſequi jam dudum dedidici neſcire, odio: Dicat mihi quæſo quisquis ſit, & erit mihi magnus Apollo, quidnam cauſæ ſubſit, quamobrem de dubio quodam gravioris læſionis caſu, ſi numero plures medicorum ſententiæ poſtulentur, tam facile par numerus colligi poſſit negantium, quam affirmantium, unam eandemque de indole vulneris ad eventum, propoſitionem? Aſt verò, quod hoc omni modo ita evenire, non poſſit forte ſolum, ſed omninò ſoleat, ſi quis dubitare vellet, auſim illum paucis verbis ita inſtruere, ut citra ſuſpectum alterius cujuscunque argumentum aut judicium ſuo ipſius judicio ſtare atque niti poſſit. *Hablen cartas, y callen barbas*, dicunt Hiſpani. Interim cum ea ſit conditio humanitatis, ut ille pro prudente habendus veniat, non qui minime, ſed qui minimum errat, tanto magis neceſſaria erunt adminicula, quibus ab errore ſive cohiberi, ſive revocari poſſint, quotquot hiſce rebus vel volunt vel debent animum applicare. Unde quidem laude omnino digni ſunt omnes, quotquot ejusmodi rebus, in quibus non minus proclive ſit, quam grave, aberrare, facem aliquam præferre in animum induxerunt.

Tu ipſe Clariſſime CANDIDATE, quantumvis hac vice potius Eruditionis Tuæ documentum dare, quam alios erudire ſuffeciſſet, laudabili cœpto, unum quidem faciendum, alterum tamen non omittendum, credidiſti. Recte itaque eruditam deductionem de LETHALITATE VULNERUM, ita peregiſti, ut vario reſpectu atque conſiderandi modo methodoq; licet pleraque quæ alii, non tamen eadem prorſus, verborum at-

que

que rerum ſerie, ſicut alii, pertractaveris. Laborem certe exantlaſti & operoſum & judicioſum, & ita in eo verſatus es, ut laude debita non defraudandus ſis. Commodisſime vero evenit, ut Diſſertationem ita elaboratam mihi obtuleris, quæ limam ulteriorem non requireret; utpote quam adhibere, tempore variis occupationibus impedito, major mihi quam pro reliqua rei indole fuiſſet labor. Perlegi propterea quidem, ſed facile ita uti erat, reliqui. Nemo ſit vir doctus aut peritus, qui in dubium vocare auſit, quod non ſolum primario Tuo officio, publicum ſpecimen exhibendi abundè ſatisfeceris, inſuper autem etiam ad rem ipſam veluti compendio quodam deprehendendam, ſatis felix fueris. Decent ſane atque docent hæc monumenta, quod ſtudium Tuum, per ſex & quod excurrit annos, in Ill. PHILURÆA optime collocaveris, & curſus illos quos apud Viros etiam poſt Fata celebres. B. B. ORTLOBIUM atque LANGIUM decurriſti, ita proſecutus ſis, ut metam attingere, Brabæum obtinere, omninò merueris: Sicut etiam ipſa res haut minus teſtimonii Tibi fert, quam Celeberrimi illi Viri collaturi eſſent, nempe Dnn. Profeſſores atque Doctores ceteri laudatæ Academiæ, quod apud omnes atque ſingulos illorum, multam Tuam ac aſſiduam operam & induſtriam optime collocaveris. Gratulor Tibi, & macte eſſe virtute jubeo. Per virtutis ædem ad Honoris conſtituerunt aditum priſci Romani; Rectam inſiſtens viam, recte appuliſti. Cape Honorem, legitimum præmium. Imo perge progredi, & ſtrenue hanc inſiſte viam. Deum venerare, fac officium, inſiſte ſtudio ac induſtria negotiis, ita Te non bona fortuna, ſed benedictio divina, felicitas, utilitas, quantum precari velim ac poſſim, complectentur & ſequentur. Vale. Dabam è Muſæo Hal. Magd.

XIV. Jul. MDCCIII.